



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus XXVIII. De Appellationibus, Recusationibus & Relationibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

que idcirco victum teneri negant ad reparanda damna, quæ victor, dum ad locum iudicii iter faceret, à latronibus est passus.

156. Dubium decimò est, an, si expensarum adjudicarum quantitate iustò majori victus, aut minori victor se gravatum querantur, iudex taxationem revocare & errorem corrigere valeat. Quæ in re interest, an expensæ per sententiam interlocutoriam vel definitivam taxatæ & adjudicatæ sint; cum enim juxta dicta n. 18. interlocutoriam iudex revocare valeat usque ad executionem, & *Quod iussit 14. ff. de Re judic.* etiam expensarum eâ adjudicarum taxationem revocare & corrigere valebit: etsi revocare & corrigere nequeat taxatas & adjudicatas per sententiam definitivam, *arg. l. Terminato 3. C.*

*de Fruct. & lit. expens.* cum enim iudex, ubi sententia definitiva lata, & partes dimissæ sunt, functus sit officio suo. *l. Iudex 55. ff. de Re judic.* sicut revocare & corrigere sententiam definitivam nequit quoad causam principalem in iudicium deductam, sic idem non poterit quoad expensas accessorias; cum de his idem Juris sit, quod est de causa principali, *arg. l. Si depositi 4. C. Depositi, cit. Berlich. n. 92. & Carpzov. definit. 18. n. 4.* Quare tali casu parti, quæ expensarum taxatione se gravatam arbitratur, ad appellationis præsidium erit recurrendum, *l. fin. C. Quando provoc. non est necess. Bartol. in l. Ab executore 4. C. de Appellat. n. 17. cit. Speculat. §. 6. n. 3. & Berlich. num. 94.*



## TITVLVS XXVIII.

### De Appellationibus, Recusationibus & Relationibus.

**N**ihil in iudicio frequentius est, quam ut colligantium altera pars, se per iudicis sententiam injustè gravatam, conquærat; & propterea, ne ista in Rem Judicatam transeat, & mandetur executioni, causam per Appellationis aut Relationis viam transferat ad superiorem: nec rarò, cum gravamen à iudice sibi inferendum timet, eum tanquam suspectum recusandò, removeat à cognitione. De Appellatione ab Electione aliavè provisione Beneficiali actum iam est *Lib. 1. tit. 6. à n. 278.* Quæ proinde inactâ hóc loco illius generales duntaxat Regulas exponemus.

#### ARTICVLVS I.

#### De Natura & Speciebus Appellationis.

#### SUMMARIUM.

1. Appellationis varia significatio.
2. Et propriè sumpta definitio.
3. Eâ nunquam ad inferiores.
4. Etiam vi statuti, provocatur.
5. Nisi in secunda instantia superior constitatur.

A a a a ?                      6. Ap.

6. *Appellatio aliquando Naturali*
7. *Plerumque Positivo Jure competit.*
8. *Alia Judicialis, alia Extrajudicialis.*
9. *Quarum hac ab illa multum differt:*
10. *Alia Legitima, alia Frivola, aut Frustratoria est.*

1. **A**ppellationis nomen non eandem, etiam in Jure, significationem semper habet; aliquando enim debitoris pro solutione interpellationem *l. Fidejussor 16. §. 1. ff. de Fidejuss.* aliàs blandam alienæ pudicitiae attentationem, *l. Item apud 15. §. 15. §. 20. ff. de Injuriis*; aliquando implorationem officii judicis, *l. 1. §. 1. ff. Ex quib. caus. major.* & demum ab illius gravamine provocationem ad judicem superiorem, *Rubric. & text. hic Scaccia de Appellat. q. 1.* Postremò hòc, & sacri prophanique Juris Interpp. ac DD. & Juris ipsiusmet frequentissimò usu approbatò sensu accepta
2. Appellatio est provocatio à minore sive inferiore iudice, ratione alicujus gravaminis, facta ad superiorem, *can. Omnis 3. c. 2. q. 6. l. Imperatores 21. ff. & l. Principimus 32. C. hic. Ad superiorem inquam,* non ad parem; multò minùs ad inferiorem; quia par in parem, & multò magis in superiorem inferior non habet imperium sive jurisdictionem; ut illius factum revocare & errorem corrigere possit, *can. Inferior 4. dist. 21. c. Innovuit 20 de Elect. & l. Nam Magistratus 4. ff. de Recept. arbitr. Unde*
4. Non desunt DD. qui nullitatis indiscriminatim arguant statutum, vi cuius à superiore iudice ad inferiorem provocetur; quòd adversetur naturæ appellationis, majorem jurisdictionem exigentis in eo, ad quem, ipsà interposità, provocatur, *l. 1. §. 3. ff. hac Rub. Quod, licet ita sit, nihil tamen prohibet, quò minùs is, qui aliàs*

superior est, in causa Appellationis inferior sit, & superiorem agnoscat, & sequi subiciat ei, in quem aliàs imperium habet, *l. Est receptum 14. ff. de Jurisdic. & l. Sed cum 13. §. 4. ff. ad S. C. Trebell. Il. lustre hujus rei exemplum exhibet Aurea Bulla Tit. 5. cujus §. fin. Imperator, quem omnibus principibus superiorem esse, nemo ambigit, quoad proprias causas & lites Electoris Palatini jurisdictioni se submisit. Quare id, de quo sermo est, statutum eò ipsò, quòd à superiore conditum ejusque autoritate publicatum sit, validum erit; cùm ejus vi superior respectu causæ, in qua ad eum, qui aliàs inferior est, ab iplo provocatur, proprià suà voluntate inferior sit potestate personæ, ipsius imperio in aliis subiectæ, Hunnius Vol. 2. in Trenul. disp. 33. q. 4. & Haunold. Tom. 1. de J. & J. 1728. §. n. 274.*

Introducendæ Appellationis causa fuit, ut iniquitate vel imperitiâ judicantium, & aliquando proprià suà, aut eorum, per quos iudicium susceptum est, ignorantia vel negligentia oppressis illatum gravamen removeatur, *c. Suggestum 15. §. l. 1. ff. hic. Quod si nullà iustà ratione, sed litis duntaxat protrahendæ studiò Appellationis usus aliquando sit, id non vitio rei, sed litigantium, saluberrimò & ad oppressorum levamen comparatò remedio ad calumniam temerè abutentium, depravationi est adscribendum; ut id non impediatur, quò minùs Appellatio ad defensionem adversus iniquitatem, & ad innocentia præsidium instituta ab Innocentio III. asseratur *c. Cum specialibus 61. §. Porro & l. 1. ff. hac Rubr. ut adeò**

Non vulgo tantum, sed magni nominis DD. persuasum sit, Appellationem introductam Jure Naturali, quò adversus vim atque injuriam defensio cuique est permessa, *l. Ut vim 3. ff. de J. & J. l. 1. §. 27. ff. de Vi armata, Unde Gaill. Lib. 1. observat,*

*observat. 71. n. 3. & Mynfinger Cent. 1. observat. 14.* eam statuto vel consuetudine adimi non posse, docent *arg. §. Sed Naturalia 11. Insti. de J. N. G. & C. c. fin. de Consuetud. & c. Venientes 19. de Jurejurando*, ex quo planum est, Appellationis beneficium nemini, etiam vi consuetudinis, esse denegandum.

Verum, quia non quaecunque, sed necessaria, hoc est, ea tantum defensio Juris Naturalis est, sine qua quis se tueri non potest, sive, quā ablatā aduersus vim atque injuriam se tuendi facultas omnis est adempta, *l. Scientiam 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. Clement. Pastoralis 2. §. Ceterum de Sent. & re jud. & Exodi cap. 22. V. 2.* non semper, sed eō duntaxat casu Appellatio Juris Naturalis est, quō, perpenis negotii circumstantiis, illatum à judice gravamen removeri, & sententiæ iniquitate oppressus jus suum consequi aliter non potest.

7. Quare, cum hoc regulariter non contingat: sed is, qui iudicis iniquitate se opprimendum non ex vano suspicatur, ejus reculatione, *c. Causam 17. c. Suspicionis 39. de Offic. deleg. & l. Apertissimi 46. C. de Judiciis*: & sententiæ, ab eo latae, injustitiā gravatus in integrum restitutionis impetratione, *c. Cùm venissent 2. c. Tam ex literis 5. De in integ. restit. & l. In causa 16. §. fin. ff. de Minoribus* vel simplicis querelæ aut supplicationis viā gravamen removere possit, *c. Concertationi 8. hic in 6. & l. Unic. C. de Sentent. Prætor.* Appellationis remedium determinatè Positivò Jure competit, non Naturali, ut cum Balboè *in c. 1. hâc Rubr. n. 13. cit. Scaccia q. 16. limit. 1. n. 13.* & aliis defendit Gonzalez *in c. Pastoralis 53. pr. n. 3.* quod regulariter iudicis pronuntiatione gravatorum defensio Naturali Jure determinata non sit: & licet non generaliter in omnibus, in certis ta-

men casibus & causis, non solum pactione, sive ipsorum litigantium mutua conventionem remitti: sed etiam Principis causam cum clausula, *Appellatione remota*, delegantis rescripto removeri, *c. 1. de Rescript. c. Super 25. & 27. §. Si verò, de Offic. deleg. c. Pastoralis 53. pr. hic & l. 1. ff. A quib. appell. non est, judici De non appellando concedi privilegium, Aurea Bulla Tit. von der Churfürstl. Freyheit* eadem appellatio in certis causis inhiberi lege, *c. Ad nostram 3. c. Constitutis 46. So. hic & l. Unic. C. de moment. possess.* & huic parem vim habente consuetudine, adimi possit: eamque istius vi, sententiam Capitalem, omnium maximè præjudiciosam passis, ademptam, Magister usus luculenter doceat & observet, *cit. Gaill. Lib. 1. observat. 1. n. 28.*

Dividi Appellatio à DD. passim solet in Judicialem & Extrajudicialem: Quam partitionem etsi aliqui non consentaneam Juri Civili, & ab isto solum Judicialem agnosci velint: verius tamen isto etiam, & non Canonico tantum, Jure prodita est; cum à creatione Magistratus, ab honoris vel muneris publici collatione appellatio permittatur *l. 1. §. 3. ff. Quando appell. fit.* Eâ ergo partitione retentâ, Judicialis Appellatio vocatur, quæ interponitur ab actibus judicialibus, sive de his, quæ in judicium veniunt, aut circa illud accidunt antè, vel post litis contestationem, vel sententiam definitivam; Extrajudicialis, quæ fit ab actibus, vel decretis extrajudicialibus inferioris iudicis extrajudicialiter procedentis, v.g. in nominatione ad onus, vel munus publicum, in deferenda alicui tutela dandæ possessione, vel alicujus privati gravamen inferentis aut illaturi v.g. in præsentatione, electione, collatione beneficii, aut jam facta, aut etiam futura, ne fiat, *c. Cùm nobis 19. c. Auditis 29. de Elect. c. Bona 51. hic, c.*

*hic, c. Concertationi 8. in 6. & l. 1. §. 3. cit.*

9. Inter duas has appellationes valde notabiles differentiae sunt; quia Impri-  
mis Judicialis proprie, Extrajudicialis au-  
tem improprie dicta Appellatio est, istius-  
que nomine simpliciter prolatò ferè sola  
judicialis intelligitur: eamque ob cau-  
sam statutus, appellationem certae poenae  
subijcientibus, tanquam odiosis, ab actu  
extrajudiciali ad superiorem provocantes  
non comprehendi, ex communi sensu no-  
tat Alex. de Nevo in c. Cum sit 5. à n. 13.  
Deinde judicialis supponit iudicium, & à  
solo iudice ejusque gravamine, in illo non  
primùm inferendo, sed illato fit: extra-  
judicialis autem iudicium non supponit,  
& non solùm à iudice extrajudicialiter  
procedente, sed à parte quoque interpo-  
nitur, ut colligitur ex c. Bona cit. & c. Con-  
fictia 48. hic. Demum judicialis præ-  
terita suspendit, eaque pendente, acta in-  
valida sunt, & per viam Attentati revo-  
cantur: non etiam gesta, pendente appel-  
latione extrajudiciali: nisi forte ipsi ap-  
pellationi repugnent. Ratio discrimi-  
nis est; quòd judiciali appellatione inter-  
posita iudicis iurisdictio suspendatur, citat.  
Scaccia q. 2. art. 3. Hunnius q. 4. & Hau-  
nold. à n. 278.

30. Utraque hæc Appellatio, si ex iusta  
& legitima causa interponatur, Rationabi-  
lis & iusta: si verò morandi solutionem  
aut iudicii protrahendi causâ fiat, Frustra-  
toria: si demum ex levi causa aut pro re  
minima fiat, Frivola dicitur, & perinde,  
ut frustratoria, reiici debet & soler, Val-  
lent. ad hanc Rubr. §. 1. n. 5.

## ARTICULUS II.

### De his, quibus Appel- latio Jure permilla est.

## SUMMARIUM.

11. Appellatio generaliter permilla est,
12. Etiam excommunicato:
13. Qui tamen extrajudicialiter non appellat.
14. A sententia contra alium lata sub,
15. Vel alienò nomine appellare licet:
16. Ipsi etiam iudici, cum successor est condemnati.
17. Aliquando litigantium uterque ap-  
pellat.
18. Pro appellante lata sententia etiam  
correis prodest,
19. Si tria concurrant:
20. Et si contra illum lata bis non obfit.
21. Non appellat, qui sententiam appro-  
bavit,
22. Vel ob veram contumaciam est con-  
demnatus:
23. Neque is, cuius delictum est nota-  
rium:
24. Et qui, se non appellaturum simpli-  
citer,
25. Aut juratus promisit:
26. Neque etiam, qui in ea causa non  
detulit adversarij appellationi,
27. Vel contra se tulit tres sententias  
conformes.

**R**egula est, appellare permillum est  
omnibus, iudiciali pronun-  
tiatione gravatis, s. Cum ergo,  
post can. Ideo, 2. q. 8. l. 1. §. 1.  
Et in majoribus 20. l. Si quis 30. Et. hic,  
etiam Excommunicato, c. Inter 5. & c.  
fin. de Except. quia appellatio species quæ-  
dam est defensionis, c. Cum speciali 61. §.  
Porro, excommunicato in ius vocato non  
minus, quàm eius adversario, permilla;  
ne inter collitigantes inæqualitas indu-  
catur, & Reo non liceat, quod permillum  
est Actori, contra l. Non debet 41. ff. & c.  
Non licet 32. de R. J. in 6. Neque

12. Neque excommunicati appellatio-  
nem elidit; quòd etiam reus à sententia  
iudicis ad superiorem provocans in se-  
cunda instantia evadat Actor; cum per il-  
lam sibi illatum gravamen removeri pe-  
tat: actoris autem partibus fungi nequeat  
excommunicatus: & si fungi velit, exci-  
piendò ab adversario, vel à iudice ex offi-  
cio valeat repelli, *c. Intelleximus 7. de Ju-  
diciis*. Quæ ratio, appellationis reme-  
dium excommunicatis Jure non indultum  
esse, persuasit Hostiensis in *c. Cum inter  
est*. & Decio *ibid. n. 21*. Sed immeritò;  
quia appellans non est Actor voluntarius,  
sed necessarius; cum agat coactus neces-  
sitate defensionis, sententiæ in rem iudi-  
catam transitu sibi auferendæ, si intra de-  
cendum non appellet: Actoris autem  
necessarii vice fungens excommunicatio-  
nis exceptione à iudicio non removeatur,  
hòc ipso; quòd legitimæ defensionis co-  
pia ei non denegatur, *c. Cum inter est*. ut  
*ibi cum Panormit. n. 15*. notant Vivianus  
*pr. Laiman. n. 3*. & Pirrhing *ad Rubric. de  
Except. n. 5*.

13. Sed hæc de Appellatione Judiciali;  
non etiam de Extrajudiciali procedunt,  
cum; quia *c. Cum inter & c. fin. cit.* de  
gravamine *A iudicibus per sententiam  
condemnantibus*, & à gravamine eà illato;  
ac proinde sola iudiciali appellatione est  
sermo, ut probè advertit Gonzalez in *c.  
Cum inter est. n. 10*. tum verò; quia appel-  
latio extrajudicialis ad litem coram Or-  
dinario iudice inchoandam tendit: eam-  
que interponens, non actoris necessarii,  
sive actionem intentatam propulsandò, se  
defendentis: sed voluntarii, institutà a-  
elione alterum impetentis, rationem ha-  
ber, actoris autem voluntarii, sive ad iudi-  
cium provocantis partes in se suscipere  
excommunicatus non permittatur, *citt. c.  
Intelleximus & c. Cum inter, in fine*, ubi  
ipù etiam actoris reconventio denegatur;

& tanquam reus solùm necessarius, sive,  
cum per citationem in ius vocatur: non  
etiam tanquam voluntarius, sive, cum pro  
suo commodo ultro comparet, admitti-  
tur, ut ex communi DD. sententia doc-  
cent Suarez *de Censur. disp. 16. s. 4. n. 12*.  
& Pirrhing *ad Rubric. de Judiciis n. 40*.

14. Neque solùm appellare permissum  
est iis, contra quos sententia est lata: sed  
etiam aliis, quorum suo nomine interest,  
sive, quibus illa præiudicium generare,  
aut damnum inferre potest, ut desumitur  
ex *can. Non solet. 2. q. 6. c. Cum super 17.  
de Sent. & re judic. & l. A. sententia 5. pr.  
ff. hic*; sic enim à sententia, lata contra  
Procuratorem non appellantem, eius  
principalis, *l. cit. §. 2*. enptore super  
proprietate litigante & victò, venditor:  
& hoc victò, appellare emptor potest, *l.  
cit. §. 3*. Sic maritus à sententia super do-  
tis proprietate lata contra socerum: cre-  
ditor ab ea, quâ, ipso ignorante, pignus  
alteri est adiudicatum, *arg. l. Sape 53. V.  
Scientibus, ff. de Re judic. fideiusfor à sen-  
tentia lata contra debitorem principalem,  
pro quo intercessit, Glossa in l. A. senten-  
tia cit. V. Pro, eo*, Sic cohæres pro condem-  
nato cohærede, & pro victò hærede insti-  
tuto legatarii appellare suò nomine pos-  
sunt, *l. est. pr. & §. 1*.

15. Ii etiam, quorum alieno nomine in-  
terest, rectè appellant, veluti Procura-  
tor pro domino, *c. Non injustè 14. de Pro-  
curat. & l. Dominus 9. C. hic*. Tutor &  
Curator pro pupillo vel minore. *l. Si a-  
tor 10. C. & l. Tutor 27. ff. Rub. cit.* Coniun-  
ctus cum cautione de rato pro coniuncto,  
ut Pater pro Filio, & vicissim ille pro illo:  
Maritus pro Uxore: pro subdito Domi-  
nus, Episcopus aut Abbas pro clerico vel  
Monacho, & hi in causa suæ Ecclesiæ, vel  
Monasterii appellare possunt, *Speculat.  
Tit. de Appellat. §. 1. n. 15*. & Pirrhing *ad  
hanc Rubric. n. 10*. Sic etiam ratione hu-  
manitatis

B b b

manitatis

manitatis receptum est; ut pro damnato ad supplicium, etiam invito ac reluctante, provocare quilibet possit, *l. Aditios 29. C. & l. Non tantum 6. ff. hic*; cum innocentem defendi & beneficii hominis hominem affici, omnium interfit, *l. Servus 7. ff. de Servis export. Perez in C. hic n. 5. & Vallens. ibid. §. 2. n. 1.*

16. Quin ipsi quoque iudici à suamet pronuntiatione, cum ista condemnato succedit, appellare permissum, vult Glossa in *l. 1. ff. de Except. rei vendit.* Non quidem casu, quò sententiam iniquam dolò tulisset; istò enim latam iudicialis sententiæ legem pati: & eò, quod in alterum statuit, iure uti, etiam ipse deberet. *c. Cum omnes 6. de Constitut. & l. 1. ff. Quod quisque iuris in alt.* Sed casu, quò intentionis vel exceptionis, ab auctore suo non latis fundata, probationem ex facti circumstantiis accuratius ponderatis novam & omnino sufficientem ipse afferret; cum, si huiusmodi probatione in secunda instantia afferret, eaque vinceret, non à se iniuste, aut imperite iudicatum; sed ab eo, cui successit, ius suum ignoratum, aut non bene in iudicio deductum, constaret, *Zæsius in ff. ad banc Rubric. n. 7.*

17. Interdum à sententia, quatenus sibi præiudicium asserre videtur, provocat uterque, *c. Si duobus 7.* si nimirum illa contineat plures articulos, quorum unus auctori, alter reo adversatur, v.g. si pro auctore pronuntietur in causa principali: ad litis autem expensas non, ut ipse petit, condemnatur reus, sed ea huic remittantur, aut utrinque compensentur, Glossa in *c. Significaverunt 11. V. Absolvit, de Except. ubi Panormit. n. 7.*

18. Si in causa pluribus communi à sententia, contra omnes lata, unus tantum provocarit, & in iudicio appellationis vicerit, eius victoriæ emolumentum etiam pertinebit ad reliquos, qui non appellä-

runt, *c. Una 72. l. Si qui 10. §. fin. ff. hic Rubr. l. 1. & l. fin. C. Si unus appell.* sicut Principis rescriptum in una eademque pluribus communi causa impetratum ab uno, ad eumque solum directum, omnibus ex æquo prodest, *l. 1. C. de Divers. rescript.* quòd, ubi eadem est ratio, idem jus constitui oporteat, *l. illud 32. ff. ad L. Aquil.* Ut autem secundum *textum cit.* pro uno lata sententia correis omnibus prodest, tria concurrere debent, Primò, ut omnes correi, sive ejusdem, super una eademque re vel jure moti, litis sint confortes. Secundò; ut non diversis, sed una eademque sententiâ, omnes sint condemnati. Tertiò; ut is, qui appellavit, non speciali, v.g. privilegii ipsi soli, non etiam aliis competentis: sed jure ac defensione omnibus communi adjutus sententiam pro se reportarit; si enim appellans beneficii minoris ætatis adversus sententiam in integrum fuisse restitutus, restitutio hæc ipsi soli, non etiam cæteris litis confortibus prodesset, *arg. l. Unic. C. Si in communi in integ. rest. Panormit. in c. Una cit. n. 2. Scaccia de Appellat. q. 5. n. 50. Perez in C. Si unus ex plurib. appell. n. 3. & Haunold. Tom. 5. de 7. & 7. Tract. §. n. 349.*

Neque *c. Una & l. cit.* dispositioni adversatur; quòd, inter alios acta, alia non prodesse, Regulæ instar asseratur *c. Quamvis 25. de Sent. & re judic. & l. Sepa 63. pr. ff. de Re judic.* quia Regulæ illi, præter casus ad Rubric. præced. an. 89. re-  
latos, locus non est in secunda instantia, sive causa appellationis; in hac enim à plurium correorum, eadem primæ instantiæ sententiâ commune gravamen passorum, uno interpositæ appellationis, & in istius iudicio pro eo lata sententiæ emolumentum ad confortes transire, æquitatis ratione dictante, Jurium conditores voluerunt, *c. & l. cit.* quòd, cum grave

gravamen omnium idem & ex eadem iudicis inferioris pronuntiatione ortum: idemque omnium jus & communis defensio fit, appellationis iudex gravamen illud per sententiam removendò, non eum duntaxat, qui provocavit, sed ceteros quoque indebitè gravatos, pronuntiare videatur; cum rectè appellatum & male iudicatum pronuntians pro eo, qui appellavit, idem iudicare debeat pro ceteris, qui à sententia non appellarunt; quia, sicut jus, ita gravamen omnium unum & individuum, unaque & individua defensio est; ut, sicut gravamine illatò uni, affici ceteros, ita inferioris iudicis sententià hos quoque gravatos iudicari necesse sit ab eo, qui eà unum gravatum ex defensione omnibus communi decernit, *Lai-man. in c. Una cit. n. 3. & Gonzalez n. 1.*

Neque etiam; quòd unius à sententià appellantis condemnatio in secunda instantia facta ipsi duntaxat: non aliis etiam litis confortibus noceat, *l. Scio 3. §. 2. ff. hie;* quia Jura, sicut ad absolvendum, quàm condemnandum, *l. Arrianus 47. ff. de V. O.* sic etiam ad emolumenta victoriæ; quàm condemnationis damna aliis communicanda, sunt proniora, *can. In-terrogatum 21. iunctà Glossà, V. Proste-tur, 2. q. 5. c. Significasti §. Et. Denuntiaste 17. §. 6. ff. ad l. Jul. Adult.* Accedit; quòd facile contingat, ut correorum unus metu vel errore inducatur ad confessionem sibi præiudiciosam, vel testimoniis, aut instrumentis falsis vincatur: & propterea, si eius condemnatio ad litis confortes pertineret, necessaria defensio his facile auferretur, *citt. Perez n. 3. & Haunoldus num. 251.*

21. Regula tamen hæc de Appellationis generali permissione suas patitur exceptiones; cum appellatio denegetur non solum iis, qui contra se latam sententiam expressè vel tacitè approbaverunt; *c. Gra-*

*tum 20. de Offic. deleg.* itaque appellationi renuntiaverunt: sed aliis quoque &

Primò quidem condemnato ob contumaciam veram; quòd peremptoriè citatus protestatus sit, se nolle comparere, *l. 1. C. Quorum appell. non recip. §. 1. Ex consensu 53. iunctà Glossà, V. Litis damno, ff. de Re judic.* quia, ut appellans à iudice audiatur, indignus est, qui iudicem audire, eique parere per contumaciam renuit, *Maranta de Ord. iudic. p. 6. Tit. de Appel-lat. n. 273.*

23. Secundò, delinquens notorius, & qui de crimine (ponte (non solum vi tormentorum) & ore proprio (non per procuratorem, etiam speciale mandatum habentem) confessus est, vel legitimis atque indubitatis probationibus convictus, *c. Per-venit 13. c. Consuluit 14. §. 1. Observare 2. C. Quorum appell. non recip.* Ratio est; quòd appellatio instituta sit ad removendum gravamen iniuste illatum, *c. Suggestum 15. de quo conqueri nequit, cuius crimen, vel per evidentiam facti, vel per legitimas probationes & confessionem in iure factam, notorium est, §. In mani-festis, post can. Qua Lotharius, 2. q. 1. cit. Maranta n. 281. & Farinac. Prax. Crimi-nal. q. 101. n. 114.*

24. Tertio, qui, à iudice se non provocaturum, ante sententiam est professus, *l. 1. §. 3. ff. Quib. appell. non licet, præsertim cum iuramento, c. Questioni 21.* quòd textu relatæ Alexandri III. Constitutioni non adversatur decisio eiusdem Papæ, illi, qui Ecclesiæ mandato se paritum iuravit, si mandatum, sive sententiam iudicis iniustam esse advertat, appellationem, iuramentò non obstante, permittentis, *c. Ad hac 20.* quia istius de mandato, sive sententia iniustâ, ab eaque legitime factâ appellatione: illius verò, sive *c. Questioni cit.* decisionem de sententia, seu mandato juri conformi, & iniustum gravamen non inferentis.



inferente, eique frivole opposita appellatione, *in c. cit. cum Panormit. num. 5.* exaudiunt Vivianus §. *fin.* & Laiman. *n. 2.* quod iuramentum, prælitum circa materiam Juris & iustitiæ, ultra Juris & iustitiæ limites non sit extendendum, ut cum Glossa *in c. 1. V. Declaramus. de Jurejurando in 6.* docent Sylvester *V. Juramentum. q. 3.* & Suarez *de Juramento. cap. 32. n. 12. in fine.* secundum quos proinde DD. qui sententiæ se paritum iuravit, ad iustitiam tantum & Juri conformis sententiæ observantiam se obligasse censetur. Huic *citt.* textuum conciliationi, etsi non adveser, eius tamen, qui, se non provocaturum, disertè cum iuramento promississet, appellationi à sententia, cuius iniustitia notoria non est, in Civilibus nunquam deferendum, existimo; quia renuntiatio appellationis in Civilibus & proprium interesse concernentibus causis licita, §. *3. cit. & c. Directa 39. ibi, Postmodum eâ renuntiant appellationi:* & propterea eiusmodi promissione & huic adiecto iuramento standum est, per Regulam *c. Cum contingat 28. de Jurejurando & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.*

26. Quarto, qui in eadem causa non detulit legitimæ appellationi sui adversarii, *c. Consuetis 23. & c. An sit 42.* cum, quod quisque iuris in alium statuit, eò ipsum quoque conveniat uti, *l. 1. ff. Quod quisque iuris in alium & c. Omnes 6. de Consuetis.* In eadem, inquam, & Legitima. Prius; quia in causa sive negotio omnino diverso & cum eo, in quo appellanti non detulit, connexionem non habente, legitimè appellatorem audiendum, *arg. c. Dilecti 55. notat Glossa fin. in c. An sit cit. & ibi Panormit. n. 4.* Posterius, propter *c. An sit cit.* verba, *Post appellationem legitime interpositam, ex quibus, à contrario ducto argumento, deferendum est appellationi provocantis: etiam si ab eo adversa-*

rii sui frivole aut frustratorie appellationi non sit delatum, Laiman *in c. cit. n. 1.* Quinto, qui in eadem causa, & super 27. eodem articulo, tres conformes sententias contra se tulit; ab earum enim ultima, etiam intra decendium, appellare condemnatus prohibetur, *c. Sua 65. hinc Rubr. & l. Unica C. Ne liceat in una & c.* cum; quod adversus tertio condemnatum sit præsumptio, quod foveat iniustam causam, & ad litem duntaxat prorogandam appeller; cum aliquem in eadem causa, & articulo, & à tribus diversis iudicibus gravari, Jura non præsumant: tum verò; ne lites facile excedant vitam hominis, aut omnino immortales fiant, contra Regulam *c. Finem 5. de Dolo & l. Proferendum 13. pr. C. de Judiciis.* In articulo tamen ab eo, in quo ter succubuit, diverso: & in quo bis victus & toties victor fuit; imò etiam à sententia tertia contra se lata, si ista novum gravamen asserat, appellare aliquem non prohiberi, *in Rubric. & l. cum cit. Maranta n. 270.* rectè advertunt Perez *n. 3.* & Bruneman, *n. 1.* etsi à Camera Imperiali & Gallis tribunalium utriusque tertia & aliquando quarta appellatio, trium conformium sententiarum exceptione non obstante, recipiatur; ne Imperii Romani status, in territoris suis pluribus instantias constituendò, supremi tribunalis iurisdictionem eludere valeant, Gall. *Lib. 1. observat. 72. n. 3.* & Myninget *Centur. 1. observat. 5.*

### ARTICULUS III. De Actibus, à quibus Appellatio est permilla, SUMMARIUM.

28. Appellatio regulariter permilla à  
quavis sententia: 29. Dum:

29. Dummodo ea sit valida,  
 30. Et definitiva, vel istius vim habens,  
 31. Etiam de Jure Canonico Moderno.  
 32. Non appellatur I. à sententia Capitali,  
 33. II. Et reo confesso infligente pœnam Legalem.  
 34. III. A correctione Prælati:  
 35. Nisi procedat judicialiter,  
 36. Vel in correctione excedat modum,  
 37. Et excessus specificè exprimatur.  
 38. IV. A condemnatione Officialis.  
 39. V. A mero executore, modum non excedente.  
 40. VI. A sententiâ Censurarum,  
 41. Saltem quoad effectum suspensivum.  
 42. VII. Ab executione Electionis confirmata.  
 43. VIII. A sententia in Possessorio Momentaneo:  
 44. Secus ab ea in Ordinario lata.  
 45. IX. A sententia, decernente operationem testamenti &c.  
 46. X. In causis non admittentibus dilationem.  
 47. XI. A sententia notoriè justa.  
 48. XII. In causis delegatis, Appellatione remota.  
 49. Quæ clausula appellationi etiam rationabili obstat:  
 50. Nisi, huic illam non ob stare,  
 51. Vel appellari posse, Jure simpliciter sit expressum.
28. Sicut omnibus, ita, de Jure saltem Canonico antiquo, in omnibus causis, tam Criminalibus, quàm Civilibus, ab omni Sententia valida, etiam Interlocutoria duntaxat, imò à quocunque alio gravamine illato: & si hoc extrajudiciale sit, inferendo, appellare regulariter est permittum, *can. Liceat, can. Si quis. 2. q. 6. c. Cum sit 5. c. Super eo 12. c. 1. pr. in 6. Clement. 3. &c.*

Dixi, Imprimis *A valida*; quia à sententia, quæ à iudice incompetente, contra non citatum, vel contra sententiam priorem, quæ in rem judicatam transit: quæ expressum errorem contra Jus, vel Constitutionem, aut aliud vitium substantiale continet, & propterea invalida est, appellare non est necesse, *l. Si expressum 19. l. Ex consensu 23. ff. hic l. 1. &c. C. Quando provoc. non est necess. cum;* quia appellatio sententiam prius latam suspendit, ad eamque rescindendam tendit: id autem, quod nullum est, suspendi ac rescindi non potest: tum verò, quia sententia ipso Jure nulla non producit actionem iudicati, cujus infringendæ causâ appellationis remedium est introductum, *Zœsius in ff. Qua sent. sine appell. resc. n. 2. & Perez in C. Quando provoc. non est necess. n. 1.* In dubio tamen de nullitate alternativè peti potest; ut sententia declaratur nulla: aut, si valida sit, contra eam appellari, Bartol. & alii DD, in *l. Expressum cit.*

Deinde dixi, *de Jure Canonico & Antiquo*. Prius; quia Jus Civile appellationem ab interlocutoria non concedit, *l. Ante sententia 7. C. Quorum appell. non recip. l. Si clericus 2. C. de Episcop. aud. & l. Apertissimi 16. C. de Judiciis.* Eam autem appellationem inhibendi ratio potissima fuit; ut litigantium, quocunque gravamine prætenso, ab ejusmodi sententiis provocando, causam principalem in infinitum extrahentium, & adversarios suos maximis sumptibus defatigantium, malitiis & calumniis obviaretur.

Excipitur tamen & appellationem etiam hoc Jure admittit Sententia Interlocutoria, quæ vim habet definitivæ & alicujus jus totum absorbet, ut in calu. *Intra 39 ff. de Minoribus*: postquam non speratur definitiva, v.g. si iudex se pronuntiet incompetentem, aut reum ab

Bbbb ; observatio.

observatione iudicii absolvat: ex qua illatum gravamen per definitionem, aut appellationem ab ista, nequit reparari, v.g. si iudex aliquem jubeat incarcerari vel torqueri, *l. Ante sententiam 2. ff. de Appell. recip.* Panormit. *in c. Super eo cit. n. 3.* Bartol. *in l. Ante sententia 7. cit. n. 12.*

31. & Laiman. *in c. cit. 1.* Posterius; quia hæc Juris Civilis dispositio post Tridentinum iterum observanda est in appellationibus à Locorum Ordinariis, ex decreto ejus 5. Concilii *Seß. 13. cap. 1. & Seß. 24. cap. 10 de Reformat.* appellationes ab eis interpositas per superiores quoscunque recipi vetantis, nisi à definitiva, vel definitiva vim habente, & cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat, Barboia *in cap. 20. cit. n. 19.* casus, quibus ab Ordinariorum interlocutorii sententiis appellatio est permessa, complures referens à n. 21.

32. Demum dixi, *Regulariter*; quia variis casibus appellationes non recipiuntur; sic enim primò in Imperio Romano ex inveterata, & Imperialis Camera Ordinat. *p. 2. tit. 28. §. Item nachdem/ & Reccessu 1530. §. Item als auch/approbata* Consuetudine non admittuntur appellationes reorum in Causis Criminalibus Capitalibus, *In peinlichen Sachen/ die Leibstraff auff ihnen tragen / Gaill. Lib. 1. Observat. 1. n. 28 & Mynsinger Centur 4. Observat. 41.* Cui Consuetudini ansam procul dubio dedit; quòd in talibus causis ad sententias condemnatorias ferendas cum maxima circumspicione & nunquam nisi in notoriè delinquentes, crimina confessos, aut indubitatis & luce clarioribus argumentis convictos, procedatur. Quantumvis de Jure (nonnullis casibus ob suam atrocitatem exceptis) in hujusmodi non minus, quàm in Civilibus causis appellationem permissam, perspicuum sit *ex l. Non tantum*

*6. ff. l. Addictos 10. l. Si quis 29. C. hic & l. Addictos 6. C. de Episc. audient.* eamque Capitali sententià damnatis non denegandam, magna ratione suadeatur; quòd, cum ad defensionem comparatò appellationis præfidiò Jura succurrere vel maxime voluerint iis, qui judicialis sententiæ iniquitate oppressi præjudicium & damnum pati possunt, præ aliis concedenda videatur iis, quibus iniqui aut imperiti iudicis pronuntiatio vitæ cum infamia amittendæ jacturam & damnum omnino irreparabile afferre potest.

Secundò, à Sententià, quæ crimen 33. confessus, & convictus ad poenam lege definitam condemnatur, *arg. c. Quia nos 32. junctâ Glosâ V. In commun. hic, & l. Si qua pena 244. ff. de V.S.* Ratio est; quòd à tali poena appellans queri videatur de gravamine illato, non tam iniquitate judicantis, quàm ipsius legis: quæ, cum justa & pro communi omnium bono & utilitate Reipublicæ lata sit, secundum *can. Erit autem lex 2. dist. 4. & S. Thomam 1.2. q. 90. art. 4.* injuste neminem gravat: imò ab ea provocans non obsecure redarguit ipsum suum Principem, cujus autoritate leges conditæ sunt aut approbatæ, Gonzalez *in c. Irrefragabili 13. de Offic. jud. Ord. n. 4.*

Tertiò, à legitima, hoc est, secundum Regulas Ordinis & SS. Canones facta Correctione Regularis, vel contra disciplinam Ecclesiasticam Secularis Prælati, *c. cit. c. Licet 12. de Offic. Ord. c. Ad nostram 3. & c. Reprehensibili 26. hic, quæ Juris communis Constitutiones confirmatæ sunt privilegiis Apostolicis, pluribus Ordinibus indultis, & à Barboia *in c. Ad nostram cit. n. 3. & Haunold. Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. n. 516.* relatis. Ratio est partim; quòd ab ejusmodi correctione appellans tendat ad Regulam & SS. Canones redarguendos iniquitatis: partim; quòd cor-*

quoddam correctio legitima, quæ sit secundum Canones, sit quædam istorum executio: à qua, ut mox patebit, appellatio non datur.

35. Excipiendi tamen sunt casus Imprimis, quò Prælati adversus Religiosum procedit judicialiter; ab hujus enim sententia definitiva & interlocutoria, gravamen per definitivam irreparabile inferente, appellacionem permissam, ex Tridentini Sess. 13. cap. 1. de Reformat. cum Fagnano in c. Ad nostram cit. n. 6. desumit Pirrhing ad hanc Rubric. num. 44.
36. Deinde, quò idem, non judicialiter, sed per viam paternæ correctionis ad Religiosum sibi subiecti emendationem procedens, in correctione modum notabiliter excedit, vg. eum ob levem defectum detinendò in carcere; hujusmodi enim excessu gravato appellacionis remedium non denegatur, c. Irrefragibili cit. Sc. De Priore 31. hic, Panormit. in c. Ad nostram cit. n. 1. circa quem tamen casum

37. Notanda sunt duo. Primum est; quòd, licet Religiosis appellantiibus, neque Jus commune, neque specialia Ordinum privilegia obstant, nihilominus, ut eorum appellacioni deferendum sit, non sufficiat, à sententia, vel etiam ab ejus injustitia, generaliter appellari: sed necessaria sit specifica expressio causæ, scilicet, quòd in correctione modus excedatur; cum enim Jus extra specialem casum appellacioni à paternæ correctione resistat, quandocumque ab ejus excessu provocatur, iste exprimendus erit: quantumvis aliàs in appellacione à definitiva causæ expressio non exigatur, l. 1. §. fin. & l. Sed si 2. ff. hic, Panormit. in c. Ad nostram cit. n. 9. Alterum: quòd appellatio à correctione Prælati solum effectum devolutivum, non etiam suspensivum pariat; cum executionem non suspendat, ut ex Concilii Trident. Sess. 22. cap. 1. & sess. 24.

cap. 10. de Reformat. desumit & S. Congregat. Cardinal. declaratione firmat Fagnanus in c. Ad nostram cit. n. 8.

Quartò, Officiali, vg. Notario, nuntio, executori, à iudice suo, ob malè gestum officium, condemnato appellandi facultas adempta est, l. Nulli 3. C. Quorum appell. non recip. quòd Juris & de Jure præsumptio sit, eum, si de delicto in officii administratione commissò legitime non constitisset, non fuisse condemnandum: atque etiam; ut officiales, si poenam interposità appellacione eludi & differri non posse, sed præsentem esse videant, officio suo ritè fungantur & ab omni forde abstineant, Glossa in l. cit. V. Nulli, ubi Salycet. n. 1. Speculat. Tit. de Appellat. §. 2. n. 4. & Farinac. Prax. Criminal. q. 101. n. 85. In alia tamen causa, puta, cum de patrimonio suo litigant, aut de crimine officium suum non concernente condemnantur, Juris communis, sententià gravatis recursus ad superiorem auxilium offerentis, sicut cæteris, sic etiam officialibus non denegari, aliis DD. cit. idem monet n. 87. & Scaccia de Appellat. q. 17. limit. 16. à n. 5.

Quintò, ab Executione sententiæ, factà à mero executore, nisi in ea modus excederetur, c. Novit. 43. l. Ab executore 4. ff. hic & l. Ab executione 2. C. Quorum appell. non recip. Ratio est; quia gravamen, quod per eam inferitur, potius sententiæ iudicis, à quo procedit & pendet, quàm executioni imputatur; cum actus mandanti potius, quàm exequenti tribuatur, Barbosa in c. cit. num. 3. & Gonzalez ibid. n. 9. Si verò in executione modum excedat, vg. eam in re alia, vel in plus, quàm est iudicatum, vel ante tempus, vel non servato ordine, puta, prius in bonis immobilibus, quàm mobilibus, faciendò, vel partes iudicis, aut sententiæ interpretationem assumendò, quòd mero exe-

mero executori non conceditur, *l. Si ut proponit 6. C. de Execut. rei judic.* ab ipso etiam, tanquam injultum gravamen inferente, appellare licebit, *c. Quoad 15. ibi, Non audetur appellans, nisi modus executionis Canonice excedatur, de Sent. & re judic. ubi Glossa V. Excedatur, Panormit. n. 24. & Alexand. de Nevo n. 47.*

40 Sexto, à Sententiis Censurarum, saltem quoad effectum suspensivum; etsi enim à sententia Excommunicationis & Interdicti provocari valeat ad superiorem, ut hic de ejus injulitia cognoscere

41 possit: ea tamen semel lata secum trahit executionem, & animam ligat; ut proinde ejus effectus per appellationem non suspendatur: sed excommunicatus à fidelium communione; suspensus & interdictus à Divinis officiis, ab ingressu Ecclesiæ, & cæteris spiritualibus statim debeat abstinere, *c. Ad hac 37. junctâ Glossâ, V. Interdictum, hic, & c. Is, cui 18. de Sent. Excom. in 6.* Imò, appellatione, quæ sententiam v.g. excommunicationis subsecuta est, non obstante, censuratus, ut ab aliis vitetur, possit publice denuntiari, *c. Pastoralis 53. S. Verum, etiam post Concilium Constantiense; cum per editam in isto Exiravag. Ad evitanda, nullus favor, aut privilegium ipsius censuratis sit indultum, ut rectè advertit Suarez de Censur. disp. 3. s. 15. n. 22.*

Aliud esset, si sententia excommunicationis primùm post appellationem legitimè interpositam esset lata; talis enim excommunicatio, cum nulla sit, *c. Per tuas 40. h. Nos igitur, de Sent. Excommunicat.* non obstat appellanti, quò minus, tam in Divinis, quàm in humanis, cum aliis fidelibus valeat communicare, ut desumitur ex *c. Ad presentiam 16.* Neque refert; quòd hoc textu talis dicatur absolvi; quia id exaudiendum est de abolutione ad cautelam: quam petens non

hòc ipsò, se ligatum confitetur, ut in *c. cit.* cum Glossa, *V. Absolvi*, advertunt Laiman. & Gonzalez uterque n. 2.

Quin, etsi post jam latam suspensionis & Interdicti sententiam interposita appellatio illius effectum non impediatur in spiritualibus, hunc tamen impedit, si ejusmodi sententiâ quis in temporalibus, v.g. à capienda possessione, ab ingressu in civitatem vel palatium, à perceptione fructuum, à voce activa & passiva &c. suspendatur, vel interdicatur; quia Regula Juris communis est, sententiæ effectum per appellationem suspendi; ac proinde ab ea exorbitans dispositio sive exceptio *c. Ad hac & c. Is, cui cit.* sententiam suspensionis ab officio divino & ejusmodi interdicti per appellationem suspendi, non permittens, ad suspensionem & interdictum temporalium extendenda non est, ut cum Panorm. in *c. Ad hac cit. n. 1.* & Alexand. de Nevo n. 3, notat Laiman. n. 2.

Septimò, ab Executione Electionis confirmatæ, ne electus & confirmatus investiat, sive mittatur in corporalem possessionem, *c. Constituti 46.* cum; ne Ecclesia diu vacet contra textum *c. Ne pro defectu 41. de Elect.* tum verò; quòd præsumptio sit, appellationem interponi malitiosè, ad differendam investituram, Glossa in *c. Constituti cit. V. Exceptionis.* Accedit; quòd possessionis traditio rationem habeat executionis: à qua interpositæ appellationi de jure non est deferendum, *c. Novit & l. Ab executione cit.* Gonzalez in *c. Constituti cit. n. 4.* Nisi tamen casus appellandi esset valde rationabilis, puta, si confirmato opponeretur defectus proprietatis manifestus, & qui probari in continenti posset, v.g. quòd Electores vel Confirmans caruerint potestate eligendi vel confirmandi: vel electus non sit clericus: aut confirmationem per fallas literas impetrarit, *c. Super eo*

2. de

3. de Crimine falsi: velei obiciatur aliud crimen, infamiam inducens, c. Accedens 23. de Accusat. Accusationem tamen vel denuntiationem confirmati post investituram facile admitti, patet ex c. Constituta cit. & ibi cum Glossa fin. notant Vivianus in Ration. & Gonzalez n. 9.

43. Octavo, à Sententia lata in Possessorio Momentaneo, in quo summarie, sive Juris ordine non servato, solaque facti specie & verisimilitudine attentâ, proceditur; ne partes veniant ad arma, l. Unica C. Si de Momenti possess. quia talis sententia non avertit præjudicium perpetuum: sed quod, in Instituto Possessorio Ordinario, facile potest reparari. Quæ Juris Civilis dispositio, etsi §. Sunt etiam, V. De possessione, post can. Et, qui, 2. q. 6. Canonizata videatur Hunnio in Treutl. Vol. 3. disp. 33. q. 38. & Haunold. cit. Tract. 5. n. 393. melius tamen alii de Jure Ecclesiæ antiquo id verum esse negant; cum propter e. Cum sit, & c. Super eo cit. textus, appellationem concedentes à gravamine quocunque: tum verò; quòd §. V. cit. contineatur merum Jus Civile, in Decreto ex Justiniano Codice translatum à Gratiano: qui ei Juris Ecclesiastici vim tribuere non potuit, ut dictum in Proemio n. 90. Etsi verò, spectatò antiquò, res ita se habeat, novissimò tamen ejus Jure ab interlocutoriis Ordinariorum, definitivæ sententiæ vim non habentibus; ac proinde à Possessorio Momentanei decreto appellare non licet, ex Decreto S. Synodi Trident. cit. Sess. 13. cap. 1. & Sess. 24. cap. 28. de Reformat.

44. Dixi, Momentaneò; quia à sententia lata in Possessorio Ordinario, in quo, servatò Juris ordine, de partium possessione contenditur & definitivè pronuntiat, appellari, sicut de Civili, arg. a contrario l. Unica cit. Momentaneæ possessionis causam excipiente, sic etiam de

Canonico Jure posse, exploratum est ex e. Cum ad Sedem 16. de Restit. Spoliat. ubi à sententia lata in ejusmodi causa Possessoria provocatum est ad Sedem Apostolicam, & ab ista primæ instantiæ sententia reformata: & desumitur ex Clement. Unica, de Causa possess. & Clement. Unica, de Sequestrat. Ratio est; quia in hujusmodi Possessorio lata sententia, cum afferat vel auferat comoda possessionis, est magni præjudicii, nec reparabilis, nisi Petitorio judiciò institutò, cit. Hunnius §. Quocirca & Haunold. Tract. 5. à n. 391.

Nonò, à Sententia, per quam aperi- 45. ri testamentum, aut hæres institutus mitti jubetur in possessionem bonorum hæreditatis, l. fin. C. Quer. Appell. non recip. ulq; adeò, ut ab ea interposita appellatio ne devolutivum quidem effectum consequatur, juxta l. Quisquis 6. C. Quorum appell. non recip. ubi non soli provocanti, sed ipsi etiam judici, provocationi deferenti, pœna irrogatur, Heroius Quæst. 24. Fachineus Lib. 1. Controvers. cap. 76. & Hunnius cit. disp. 33. q. 39.

Decimò, in aliis causis, non admit- 46. tentibus dilationem, l. fin. cit. veluti cum pro alimentis futuris inopiâ laboranti debitis, pro stipendiis aut salariis præstandis, pro aggeris necessaria refectioe &c. pronuntiat; ab hujusmodi enim sententiis facta appellatio, etsi effectum devolutivum consequatur, executionem tamen non suspendit, Bruneman. in l. Absinendum 4. C. Rubr. cit. à n. 1.

Undecimò, quoties sententiæ justitiæ notoria, & appellatio manifestè frivola, aut frustratoria est, per text. c. Cum Appellationibus 5. pr. in 6. quia appellatio inventa est; ut esset innocentiae præsidium, non defensio iniquitatis, Glossa in c. cit. V. Deferendum.

Duodecimò, in causis à Papa, vel alio 48. Principi.

Cc cc

Princi.

Principe, aut Magistratu supremo delegatis cum clausula, *Appellatione remota*: de qua tamen

Dubium non leve est, an eâ non frivola duntaxat & frustratoria, sed rationalis quoque & iusta appellatio removeatur. Ratio dubitandi de una parte est; quia frivola appellationi deferendum non est: etiamsi causa sine tali clausula committatur, *c. Cum appellationibus cit.* Unde clausula ista, si frivola tantum & frustratoriam removeret, parum aut omnino nihil operaretur: de altera verò; quia Princeps, causam etiam cum tali clausula committens, non censetur alicui auferre Jure Naturali concessum jus se defendendi, sicut per alias legitimas, ita etiam per appellationis viam *l. Ut vim 3. ff. de J. & J.* propter quam rationem clausulam illam de frivola duntaxat appellatione intelligendam, non pauci, neque potestri in Jure nominis DD. volunt, Contra quos

49 Statuendum est, clausulam illam removeri appellationes etiam iustas ac rationabiles, si ex Jure specialiter non sint expressa & permissa, ut desumitur ex *c. Pastoralis 53. pr. & ibi* cum Panormit. *n. 2. Joan. Andreae n. 13. & aliis* docent Fagnanus *n. 26. Hunnius cit. disp. 33. q. 3. Perez in C. hâc Rubr. n. 22. Haunold. Tract. cit. n. 407. Pirrhing ad hanc Rubric. n. 26.* & communiter alii, propter priorem partem rationis dubitandi.

Neque contrarium persuadet posterior; quia imprimis per dictam clausulam non tollitur appellatio, quoad omnem effectum, sed solummodo quoad suspensivum. Deinde, juxta dicta *an. 6.* appellatio Juris Naturalis eò solum casu est, quò est remedium necessarium ad justitiam consequendam. Cum ergo etiam, iustâ appellatione remotâ, condemnatus justitiam consequi valeat, superiorem ad-

eundò per viam simplicis querelæ, vel per supplicationem &c. non tollitur aliquid, determinatè concessum Jure Naturali, Gonzalez in *c. 1. de Rescript. n. 7.*

Neque etiam textus *c. Ut debitas 59.* quò ex quacunque probabili, hoc est, iusta causa appellatio conceditur: & *c. Edoceri 21. de Rescript.* ubi, quamvis inhibita sit appellatio, tamen ex rationabili causa appellari posse, disertè asseritur. Non, inquam, hi textus obstant; quia prior non loquitur de iudice dato cum clausula, ut *appellatione remota* procedatur: ac proinde ejus generalis dispositio per specialem *c. Pastoralis cit. pr.* limitanda est, secundum Regulam *Generi 34. in 6.* Posterioriorem autem de appellatione permissa ex rationabili causa, Jure expressa, Fagnanus *l. cit. n. 27.* & alii intelligunt, ut cum *c. cit. pr. concilietur, arg. l. Non est novum 26. &c. ff. de LL.* Haunoldus verò *n. 419.* cum Panormit *l. cit. n. 9.* eum exponit de appellatione, quæ, licet effectum devolutivum pariat, ut superior de sententiæ justitia cognoscere possit, jurisdictionem tamen iudicis *Aquo* non suspendat: qui proinde, appellatione non obstante, sententiam suam mandate potest executioni.

Porro casus, quibus appellatio, <sup>60</sup> jusmodi clausulam non obstante, permissa est, varii referuntur à Glossa in *pr. cit. l. Expressè, & Speculat. Tit. de Appellat. §. 2. num. 28.* veluti, si iudex alterius partis consanguineus non deferat exceptioni suspecti, *c. Postremò 36.* Si non admittat exceptionem citationis, facta ad locum non tutum, *c. Ex parte 43.* Si non faciat exprimi res petitas in libello, *c. Significantis 49.* Si spoliato denegat restitutionem, *c. Ex conquestione 10. de Restit. Spoliat.* Quibus laudatus Gonzalez addit casus sententiæ dolo prolata, & quò infertur gravamen notorium; quod fieri con-

§1. ri censetur omni casu, quod appellari posse, etiam simpliciter & nullâ prædictæ clausulæ factâ mentione, in Jure asseritur, ut etiam docent, *cit. Pirrhing n. 70. & Hunnius q. 3. §. Illud equidem, rectè notans, clausulam illam non obitare, quò minus interveniens aliquis tertius pro suo interesse valeat appellare; id enim c. Super eo 15. de Offic. deleg. expressè & meritò permittitur; quia commissiones seu delegationes, præsertim ad lites strictam exigunt interpretationem: & propterea ultra suos terminos, ad casus & personas non expressas, non sunt extendendæ, c. Cum olim 32. c. P. & G. 40. de Offic. delegati & S. I. qui 8. Instit. de Mandato. Imò, si ex causâ pluribus articulis unus, Appellatione remota, committatur, clausula ista appellare volenti in cæteris, cum illo non connexis, non obstabit, per expressum textum c. Inquisitioni 71. & rationem jam adductâ, Glossa in c. cit. V. Præmissa, ubi Vivianus in fine, & Laiman. n. 1.*

## ARTICULUS IV.

## De Judice, à quo Appellatur.

## SUMMARIUM.

- §2. Appellatur à judice sententiam ferente.  
 §3. Non ab arbitro compromissario,  
 §4. Etiam de Jure Canonico:  
 §5. Neque à judice Reductionis, ejus sententiam confirmante:  
 §6. Neque à Principe supremo,  
 §7. Et à Papa ad Concilium generale:  
 §8. Neque ab istius aut Collegii Cardinalium,  
 §9. A Curiarum supremarum,  
 §9. Et S. R. J. Electorum & c. sententiâ.

§1. Neque etiam ab Episcopo, cujus jurisdictionis est prorogata.

**A**ppellatur ferè ab omni judice, qui sententiam tulit: nec solum Delegato, sed & Ordinario, *can. Omnis Sc. 2. q. 6. c. Quoniã*  
 21. *Et. Præcipimus 32. §. 3. C. hic, etiam à Judice partium consensu impetratò, c. Causam 14. de Sent. & re judic. Et l. Ex consensu 23. pr. ff. hic, & ab arbitro Juris, sive ex istius præscripto ab ipsis partibus litigantibus electo, c. Ab arbitria 11. de Offic. deleg. in 6.*

Non etiam à Compromissario, sive §3. electo communi & mutuo partium consensu, *can. A judicibus cit. q. 6.* Ratio differentiæ reddi ea solet; quòd iste, sive Compromissarius liberè ac sponte: ille verò, sive arbitri Juris ex istius præscripto vel præcepto judicis eligatur: æquum autem sit; ut appellationis remediò potius succurratur iis, qui ad arbitri electionem sunt compulsi, quàm aliis, qui eos omnino liberè ac sponte elegerunt; cum isti sibi imputare debeant, quòd in ipsos ultro consenserint, Glossa *fin. in c. Ab arbitris cit. ubi Anchoranus in fine, & alii relatis, Barbosa in c. cit. n. 5.* Cui rationi, ne à judice partium consensu impetratò provocanti obset, aliæ adjungendæ sunt partim; quòd per appellationem suspendatur jurisdictio ejus, à quo ad superiorem provocatur: jurisdictionem autem habeat solus Juris, non etiam Compromissarius arbitri; cum ea dari privatorum consensu non possit, *l. Privatorum 3. C. de Jurisdic. omn. jud.* partim verò; quòd appellatio introducta sit; ut ejus remediò infringatur Actio Judicati: ex compromisso autem & arbitrorum pronuntiatione Judicati Actio & Exceptio non detur, *l. 1. C. Et. Ex consensu 2. ff. de Recept. arbitr. ubi Baldus,*  
 C c c 2 Maranta



Maranta de Ord. Judic. p. 6. de Appellat. n. 262. Pirthing ad Rubric. de Arbitr. n. 5. & Gonzalez in c. Non sine 2. ejusdem Rubrica n. 11.

54. Neque, appellationem à Compromissariis Jure saltem Canonico permissam, cum Gratiano §. Quod de Arbitris, post can. Ad iudicibus, 30. cit. q. 6. nonnulli rectè desumunt ex verbis, Si ex consensu partium iudices electi fuerint, liceat provocare, quæ sunt can. Sanè 31. cit. q. 6. quia, eam Gratiani observationem falsam, disertè pronuntiat, & à Compromissario hoc etià Jure non appellari, notat Glossa, in §. Quod de cit. V. Valebit. Ne autem huic Glossæ adnotationi can. Sanè cit. verba adversentur, postremis hujus verbis, liceat provocare, præponenda est particula Non; quia, verba illa negativè legenda & exaudienda, omnino exploratum est ex Concilii Carthaginensis III. can. 9. ex quo verba illa in Decretum sunt translata; ita enim can. Sanè cit. subjectò Versu Liceat, disertè adnotatur, & docent Tholosanus Lib. 5. Partit. Jur. Canon. Tit. 3. cap. 1. n. 2. Anton. August. Lib. 2. de Emendat. Gratiani cap. 3. Gonzalez in c. Non sine cit. num. 15. & Haunold. Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. n. 344.

55. Dubium est, an appellari valeat à iudice, ad quem pro laudi sive sententiæ Compromissarii Reductione ad arbitrium boni viri est itum. Variant DD. aliis cum Bartolo in l. 1. ff. de Legat. 2. n. 17. id negantibus, quòd Reductionis iudex succedat in locum arbitri; ac proinde ipsius naturam & conditionem fortiat, & obnoxius non sit provocationi, arg. l. Si cum 10. §. 2. ff. de Injuriis; aliis affirmantibus cum Baldo in l. Unic. C. Ne liceat in una ter Ec. n. 7. quòd pro Reductione adeundus sit iudex Ordinarius, scilicet is, quem adire oportuisset, si a quo, viâ compromissi relicta, in iudicio

litigare voluisset, ut arg. l. Quoniam 2. C. ubi & apud quem ressit. docent Panormit. in c. Cum dilectus 6. de Arbitr. n. 10. Covarruvias Lib. 2. Var. cap. 12. n. 10. & Maranta de Ord. Judic. p. 6. de Appellat. n. 114. à iudice autem Ordinario rectè appelletur, nisi expressè veritù sit, l. Et in majoribus 20. C. hic; ex qua ratione licet horù Opinionem Juri magis consentaneâ existimem cum Covarruv. cap. 12. cit. n. 5. non displicet tamen, quam hic Doctor insinuat, distinctio: quâ à Reductionis iudice appellatio cum priori negatur, si arbitri iudicium confirmet; & si hoc reformet, cum posteriori concedatur, favore compromissi & iudicii compromissariorum, quòd correctioni obnoxium non esse, Jura volunt, c. Per tuas 9. c. Exposita 11. §. l. Dein 27. §. 2. ff. de Arbitr. ut Lib. 1. Tit. 43. n. 44. est dictum.

Excipiuntur, & provocationi à sua pronuntiatione obnoxii non sunt Impriis iudices non recognoscentes superiorem, ut in spiritualibus & Ecclesiasticis est summus Pontifex: in temporalibus etiam Imperator & Principes ac Magistratus supremi: à quorum sententiis eò ipsò, quòd appellatio ab inferiore ad superiorem faciendâ sit, provocari non posse, extra dubium est, can. Ipsi 16. can. Cuncta 17. Ec. 9. q. 3. l. 1. §. 1. ff. A quibus appell. non licet. Nisi aliquando ab ipsis contra sententiam à se latam melior informatio admittatur, vel cõtra eam supplicetur, aut restitutio petatur, Gonzalez in c. Si duobus 7. n. 1. cit. Maranta n. 248.

Quin ab Ordinationibus ac Mandatis Papæ, hoc est, ab ejus sententiis, præceptis, legibusque, censuris ac pœnis, specialiter vel generaliter latis, ad futurum generale Concilium, in causis saltem spiritualibus hisque annexis appellantes, & qui his auxilium ac favorem præstiterint, ipsò factò incurruunt excommunicationem, latam à

latam à Pio II. *Constitut.* quæ incipit *Execrabilis*, editâ Calend. Februarii 1459. à Julio II. confirmatam *Constit.* quæ incipit *Suscepti*, editâ Calend. Jul. 1509. & sedis Apostolicæ abolutioni reservatam Bullæ Coenæ *Can. 2.* Suarez *de Censur. disp. 21. f. 2. à n. 15.* & Palao *Tract. 29. disp. 3. p. 3. à n. 1.*

Neque in contrarium facit; quòd *can. Nos, si incompetenter 2. q. 7.* Leo Papa Imperatoris Ludovici & legatorum eius iudicio, super excessibus per calumniam sibi imputatis, se submiserit; quia submissio hæc ex propria demissione potius, quàm Juris necessitate facta est: neque eâ Imperatori ulla in Papam iurisdictionis data, sed potius ab isto ad tollendum diffamationis scandalum innocentia ultro fuit demonstrata, Engel *ad Rubr. de Majorit. & Obed. n. 6.*

58. Dein ferè, sicut à Principibus & aliis Magistratibus supremis, ita etiam appellari in Republica Ecclesiastica nequit à sententia Concilii Generalis legitime congregati & Capiti suo uniti: à sententia sacri Collegii Cardinalium, & ab ultima sententia Rotæ Romanæ: & in Statu Politico à supremis Conciliis Imperatoris, ut in Imperio est Camera Spirensis, hodie Wezlarientis, Regum Parliamenta; quòd in his eminere censeatur Authoritas ipsorum Principum supremorum, quorum nomine instituuntur & Authoritate sententiæ proferuntur, *citt. Tholosan. p. 5. Tit. 15. cap. 73. Maranta p. 6. Tit. de Appellat. n. 251. & Haunold. Tom. & Tract. 5. de J. & J. n. 338.*

60. Ex privilegio etiam in Imperio Romano à quatuor Electorum Secularium: ab Archiducum Austriae, Burgundiae, Saxoniae & Wirtenbergiae Ductum sententiis appellatio non admittitur, teste Lud. Lindenpir *Monit. Polit. ad Auream Bull. tit. 11. & Berlich. apud cit. Haunold. à n. 339.*

Demum appellationi à sua pronuntiatione propter reverentiam obnoxius non est Episcopus, cuius iurisdictionis est prorogata, *l. Episcopale §. C. de Episc. aud.* Imò etiam, si hæc prorogata non sit, ut ex *Aurb. Si quis, l. cit.* immediatè subiecta, & ut ab Episcopi sententia veris subditis, & multò magis extraneis eius iurisdictionem prorogantibus, provocare liceat, noviter inducente, colligit Petr. Barbosa *in l. 1. ff. de Judiciis, Art. ult. n. 21.* eumque secuti August. Barbosa *in l. Episcopale cit. n. 3.* & Bruneman. *n. 2.* De quo quidquid sit, meritò quis ambigat, *am l. cit.* indultum privilegium aliquando fuerit canonizatum, etsi hoc DD. non obscurè supponant.

### ARTICULUS V.

## De Iudice, ad quem Appellatur.

### SUMMARIUM.

62. Appellatio facienda est gradatim.  
 63. Neque regulariter valet, quàm immediatus superior prateritur:  
 64. Nisi ad hunc actum provocationi adversa pars acquiescat.  
 65. Ab Archidiacono Sc. ad Episcopum, aut ejus Vicarium,  
 66. Non immediatè ad Archiepiscopum:  
 67. Etiam ab Episcopi delegato ad Vicarium:  
 68. Ab isto, perinde ut ab Episcopo, ad Metropolitanum:  
 69. Ab hoc ad Primatem:  
 70. Et ab omnibus ad Papam appellandò provocatur:  
 71. Praterquam à subdelegato Papalis delegati,  
 72. Non totam causam & iurisdictionem suam

Cccc 3

73. Sed

73. Sed istius partem tantum subdelegato committentis.  
 74. A duobus subdelegatis, cum uno ejusmodi delegato procedentibus, ad Papam itur.  
 75. Ab inferioribus ad Legatum Apostolicum,  
 76. Et ad quatuor Patriarchas majores:  
 77. Aliquando ad alios iudices mediatos ex speciali Jure,  
 78. Aut, specialis causa poscente, immediate appellatur.

62. **E**Adem Appellatio regulariter facienda est gradatim ad superiorem proximum & immediatum: non, isto præterito, ad mediatum ac remotum *c. Dilectis 55. h. c. & c. Romana 3. §. Ab Archidiacono, in 6.* ut non liceat, omisso immediato, statim provocare ad ipsum Imperatorem, *l. Imperatores 21. pr. ff. §. 1. Adversos 29. C. h. c.* cum; ne iurisdictiones confundantur, & mediatorum iudicum autoritas abeat in contemptum: tum verò; ne occupationum multitudine Princeps obruatur, *l. Præcipimus 32. pr. C. h. c. Rubr.*

63. Neque à sacris Canonibus solum inhibetur appellatio, quâ, immediatò v. g. Episcopò præterito, ad mediatum superiorem, scilicet Archiepiscopum, provocatur: sed eam omnino invalidam esse, aliqui desumunt ex *c. Dilecti cit.* textu. Alii tamen, istius tenore accuratius ponderatò, eam, & à superiore, per ipsâ adito, acta pro validis habent, si ad hunc interpositæ appellatiõni pars adversa nihil opposuit. Moventur; quòd *c. cit.* sententiam ab hujusmodi iudice superiore latam non tenere, ideo dicatur; quòd iudex iste appellatiõni, ad se interpositæ, oppositam exceptionem non admiserit. Ita cum *Glossa in c. cit. V. Post hujusmodi, Panor-*

*mit. in c. cit. n. 7. & Haunold. Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. n. 295.* Quam istorum interpretationem non nihil difficilem reddidit; quòd clerici iudicis non sui jurisdictionem prorogare mutuo consensu non valeant, *c. Significasti 18. de Foro Compet. & c. 1. pr. ibid. in 6.* quod tamen contingeret, si, parte contra appellatiõnem ad mediatum iudicem non opponente, istius acta & sententia valerent; quia mediatum iudex ita competens in causa appellatiõnis evaderet mutuo partium consensu. Sed difficultas hæc tanta non est ut à *cit.* & aliis etiam DD. receptam interpretationem convellat; quia, ut tacemus, quòd, *cc. cit.* dispositionem de secunda instantia, sive appellatiõnis causa non procedere, aliqui existimant, clericos etiam, licet non expresse, juxta *cc. cit.* tacitò tamen iudicis non sui jurisdictioni se subijcere posse, non obscurè desumitur ex *c. Posulasti 14. & c. Dilecti 17. de Foro compet.*

In Foro itaque Ecclesiastico ab Archiepiscopo, Archipresbyteris & similibus iudicibus inferioribus ad Episcopum: Sede vacante, ad Capitulum, vel utriusque Vicarium Generalem, *§. Ab Archidiacono cit.* Sede autem non vacante à Capitulo ad Episcopum provocatur, *c. A collatione 11. in 6.*

Neque aliud evincitur ex eo; *Quòd 66. c. Referente 7. de Prob. & digni.* omisso Episcopò, statim ad Archiepiscopum sit provocatum: & ex eo etiam; quòd ad hunc, non ad Episcopum, appellandum sit ab Officiale seu Vicario Generali, *pr. c. Romana 1. de Foro compet. & 3. de Appellat. in 6.* Imò consuetudo, quâ ab isto ad Episcopum provocatur, disertè reprobetur, *c. Non putamus 2. de Consuetud. in 6.* Quia in *c. Referente cit.* casu ab Archidiacono ad Archiepiscopum provocatum immediatè est vi consuetudinis Ecclesiæ Rhemense.

Rhemenfis, tunc cum Glossa *ibi* *V. Appellavit*, existimat Barbosa n. 3. vel potius; quia Archidiaconus intra sui Archidiaconatus limites exercit jurisdictionem quasi Episcopalem, Episcopo non subordinatam; cum non solum instituendi, sed etiam destituendi potestatem exercuerit, presbyterum unam Ecclesiam privandus; & propterea ab ipso immediate ad Archiepiscopum fuerit appellandum: sicut etiam fieri oportet in locis, in quibus exercet officium Vicarii generalis; cum enim in his idem tribunal habeat cum Episcopo, ne ab eodem ad eundem provocetur, non ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum erit appellandum, Gonzalez in *c. Dilecti cit. n. 10.* & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 91.

67. Dubium hic est, an a delegato Episcopi ad ipsius Vicarium generalem valeat appellari. Non ad hunc, sed ad Episcopum delegantem appellandum, vult Panormit. in *c. Dilecti cit. n. 3.* quod a delegato appellandum sit ad delegantem, vel istius in officio successorem, *c. Super questionum 27. §. Porro, de Offic. deleg. & l. 1. pr. ff. Quis & a quo appell.* præsertim tali casu, quod Episcopus causam Vicarii jurisdictioni subtrahere videtur. Verisimilius tamen, etiam tali casu provocari ad Vicarium posse, censet Alexand. de Nevo in *c. Dilecti cit. n. 9.* partim; quod tribunal & jurisdictionis Episcopi ac Vicarii non sint diversa, *c. 1. de Offic. Vicarij in 6.* & propterea appellationem ad Episcopum recipere, de eaque cognoscere Vicarius possit, *c. Dilecti cit.* partim verò; quod, licet tali casu Vicario subtracta sit causa principalis, non tamen idcirco subtracta ei sit causa appellationis omnino diversa: nisi ex circumstantiis aliud colligatur; nam à diversis non est bona illatio, *arg. l. Inter stipulantes 83. §. 5. ibi Sed hæc dissimilia sunt, ff. de V. O. Pirrhing ad hanc Rubric. n. 95.*

68. Ab Episcopo, Sede vacante, à Capitulo, & utriusque Vicario generali ad Metropolitanum sive Archiepiscopum provocatur, *c. Pastoralis 11. pr. de Offic. Ordin. c. Dilecti 55. hic & c. Romana cit. pr.* etiam in causis, in quibus temporalem jurisdictionem Episcopus exercet, *c. Romana 3. cit. §. Debet.* Ratio est; quia Archiepiscopi sunt immediati superiores Episcoporum adeo; ut istorum Principes nuncupentur *can. Cleros 1. V. Omnes autem, distinct. 21.*

Neque his adversatur; quod Appellatio & Recusatio æquiparentur *c. Super eo 12. V. In causis:* & tamen, recusatio Episcopi Vicario, Recusationis causa coram Episcopo, non coram Archiepiscopo proponenda sit & probanda, *c. Si contra 4. V. fin. de Offic. deleg. in 6.* quia, esto in utraque idem fere, cum eadem: aliud tamen tam in Appellatione, quam Recusatione observandum est, cum, ut in proposito casu, non eadem ratio est utriusque; quia de substantia Appellationis est, ut fiat ad tribunal, sive judicem superiorem: de Recusationis autem causa etiam par, v. g. ad eandem causam condelegatus, *c. cit. pr. imò & minor, videlicet arbitri, cognoscere possunt, c. Suspicionis 39. de Offic. deleg. & c. Ab arbitris 11. ibid. in 6.* Glossa *fin. in §. cit.* Accedit; quod appellatio respiciat jurisdictionem, quæ eadem est in Episcopo & ejus Officiale, sive Vicario generali, *pr. c. Romana 3. cit. & c. Non putamus 2. de Consuet. in 6.* Recusatio autem personam: quæ, cum diversa sit, & recusatio Vicario, non eò ipso etiam Episcopus recusatus sit, mirum non est; quod de Vicarii Recusatione cognoscere valeat Episcopus: etsi cognoscere nequeat de causa Appellationis, quæ ab illius sententia est provocatum. Ita in *c. Si contra cit. cum Anchorano in fine, Laiman n. 3. & Gonzalez in c. Si duobus cit. n. 5.*

Ab Ar-

69. Ab Archiepiscopis ad proprium Patriarcham seu Primatem, cui illi parent, *can. Conquestus, g. q. 3.* Ab hoc ad sedis Apostolicæ Legatum, qui immediatè ipsi præest: ab isto demum ad ipsam sedem Apostolicam, seu Romanum Pontificem; quòd in terris superiorem non habeat, provocatur, ut latè explicant Scaccia *de Appellat. q. 8.* & Gonzalez *l. cit. n. 5. 6. 7. 9.* ubi utiliter monent, appellatione factâ ad Papam, causam ab Auditore Cameræ Apostolicæ examinari: nisi sit spiritalis, vg. Beneficialis, Matrimonialis; quòd istarum cognitio spectet ad Signaturam Justitiæ, vel sacræ Rotæ Auditores.
- Quantumvis autem hæc regulariter ita sint: & præteritis proximis, sive immediatis, ad mediatos iudices & summum principem appellatio Jure Civili inhibita sit *l. Imperatores cit.* sanctionibus tamen Ecclesiasticis imprimis à quocunque iudice Ecclesiastico appellari immediatè ad Papam potest, *can. Si quis vestrum 3. can. Ad Romanam 7. can. Placuit 8. can. Quoties 13. Ec. 2. q. 6. c. Si duobus 7. c. Dilecti 66. hic.* Panormit. *in c. cit. n. 11.* Specular. *de Appellat. §. 4. pr.* & Maranta *de Ord. judic. p. 6. de Appellat. n. 358.* partim propter plenitudinem potestatis, quâ in Ecclesia Papa præcellit; cum sit Ordinarius Ordinariorum, & cum his concurrentem habeat jurisdictionem, *c. Si duobus cit.* neque jurisdictionem, tam ordinariam, quàm delegatam, aliis communicandò, suam à se abdicet, ut Imperator. Glossa *in c. cit. V. Ad sui iudicis*: partim verò; ut subditi ad Papam immediatè provocandò sumptibus & laboribus releventur, *c. 1. pr. in 6.* cessentque dubia & disputationes, quisnam proximus sit iudex, Covarruvias *Pract. cap. 4. n. 9.* Barbosa *in c. Dilecti cit. n. 3.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 90.*
71. Excipienda hic est Appellatio à sub-

delegato delegati Papæ; ab isto enim per viam appellationis non immediatè Papa, sed istius delegatus est ad eundem, cum notabili tamen distinctione; vel enim Papa delegatus sibi commissam causam & jurisdictionem totam, nullâ reservatione factâ, transtulit in subdelegatum: vel causam non totam, sed aliquam duntaxat ejus partem, aut articulum vg. inquisitionem, testium, aliarumque probationum receptionem, subdelegato commisit, aliquid de jurisdictione vg. prolationem sententiæ, vel istius executionem sibi reservando?

Si prius, à subdelegato non ad delegatum, sed ad delegantem primum, scilicet ipsum Papam est appellandum, *c. Super questionum 27. §. Porro, de Offic. deleg.* Ratio est; quòd causam totam sine reservatione in subdelegatum transferens desinat esse iudex, & à Papa acceptam jurisdictionem amittat, & amissam non recuperet per appellationem; cum istam interponentes litigantium persone privata eam nequeant conferre, *l. Privatorum 3. C. de Jurisdic. omni. jud. Panorm. in §. Porro cit. n. 4.* Vivianus *§. Secus & Molina Tract. 5. de J. & J. disp. 21. n. 5.*

Si postterius, à subdelegato non ad delegantem primum, sive Papam, sed ad ejus delegatum, est appellandum, *§. Porro cit. c. Si delegatus 7. V. Ad eum & c. Si à delegato 14. de Offic. deleg. in 6.* Nisi iste mortuus, aut excommunicatione, vel aliter esset impeditus; hoc enim etiam casu ad Papam appellandum, liquet ex *c. Si in 10. eadem Rubric. in 6.* Ratio, cur ad delegantem, qui de jurisdictione aliquid sibi reservavit, & non impeditum appellandum sit, est; quòd tali casu delegatus permaneat iudex illius causæ, *c. Cum re 18. de Offic. deleg.* ubi autem Papæ delegatus iudex remanet, ad ejus honorem conser- vandum parcendumque partium laboribus &

bus & expensis, ad ipsum, non ad alium sit appellandum, §. Porro cit. Accedit; quod tali casu appellatio ad ipsum Papam frustra interponeretur; cum, si id fieret, ut à Papa causa delegeretur alteri, læderetur honor primi delegati, à quo pars appellans gravata non est, sed à subdelegato. Si autem id fieret; ut causa de novo eidem delegeretur, id frustra foret, hōc ipsō; quod primò delegatus causæ iudex remaneat. Unde, ne appellatio huic immerenti probra, & damnosa sit partibus, hæ non ad Papam, sed ad delegantem, provocare permittuntur, Panormit. in §. cit. n. 5. Francus in c. Si delegatus cit. n. 8. Vivianus in §. Porro cit. pr. Scaccia de Appellat. q. 7. n. 64. & cit. Molina n. 6.

74. Eō tamen casu, quō trium iudicum, ad unam causam decidendam à Papa delegatorum, duo alii, etiam non in totum, vices suas subdelegant, & à duobus his subdelegatis, in illa causa cum tertio delegato procedentibus, partium alteri gravamen inferretur, ab ipsis non ad duos delegatos, qui subdelegandō vices suas aliis commiserunt: sed ad delegantem primum, sive Papam, appellandum est, ex Rescripto Bonifacii VIII. relati e. Si duo ex tribus 3. de Offic. deleg. in 6. Cujus ratio ea est; quod hōc casu non tam duorū subdelegatorum, quàm delegati, licet unius, persona attendatur, partim; quod iurisdictione delegata tanquam dignior subdelegata sit præferenda, arg. e. Sedes II. de Offic. deleg. partim verò; ne, si ad delegati condelegatos provocetur, à pari ad parem, non ad superiorem appellatum videatur, contra Regulam e. Innocentius 20. de Elect. & Nam & magistratus 4. ff. de Recept. arbitr. Vivianus in c. Si duo cit. ubi Anchoranus n. 2. & 3. & Gonzalez in c. Super questionum cit. n. 10.

75. Secundò, ad sedis Apostolicæ legatum, in Provincia sua existentem, præ-

ritis iudicibus intermediis, v.g. ab Episcopo ejusque Vicario generali, præteritò Archiepiscopò, appellari posse, ex c. 1. de Offic. Legati, colligit Panormit. in c. Dilectis cit. n. 12. & docet Maranta de Ord. Judic. p. 6. de Appellat. n. 371.

Tertiò, ex specialis sedis Apostolicæ privilegio ad quatuor Patriarchas majores, scilicet Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum & Hierosolymitanum, in provinciis eorum iurisdictioni subiectis, appellari, immediatis iudicibus omisiss, immediatè potest ex Constitutione Innocentii III. in Concilio Lateranensi c. Antiquo 23. de Privileg. relata.

Non rectè quidem ex hoc textu id desumi, cum Ant. de Butrio in c. cit. n. 11. existimat Henriquez Lib. 10. cap. 19. §. 3. & nullò Jure id expressum, ait Haunold. Tom. 15. de J. & J. Tract. 5. n. 285. quod e. cit. textu, ad Patriarchales quidem illas Sedes in provinciis suis provocari: non etiam id, omisiss iudicibus intermediis, fieri posse, asseratur. Imò subiectis verbis, *Salvis Appellationibus ad sedem Apostolicam interpositis*, non obscurè infinuetur, provocationem sine gradatione ad hanc Sedem solam permisissam. Verum, quia his verbis Innocentius Papa & laudati Concilii PP. aliud non voluerunt, quàm à quocunque iudice etiam in Provinciis illis & Patriarchali præteritā, ad sedem Apostolicam interpositis appellationibus humiliter esse deferendum, arg. e. Si duobus 7. hie, ex iis ad dictarum quatuor Sedium Patriarchas in Provinciis suis appellari, inferioribus iudicibus præteritis, immediatè non posse, perperam infertur; cum si, ad ipsos appellationem ita interponi, vetuissent: & à partibus litigantibus gradatim ipsi quoque adeundi essent, quoad appellationem Patriarchales illæ sedes specialis aliquā prærogativā,

D d d d

seu pri-

feu privilegiò non gauderent, contra apertum textũ *c. Antiqua cit.* cuius *pr.* Antiqua earum privilegia renovari, asseruntur. Panormit. *in c. cit. n. 9.* Tholosan. *Syntag. Lib. 15. cap. 9. n. 6. cit.* Maranta *n. 371. & Scaccia q. 7. à n. 104.*

77. Quartò aliquando, omiſſis intermediis, recurri ad mediatos iudices potest vi Privilegii, *arg. c. Antiqua cit.* uti & vi consuetudinis legitime præscriptæ, ut *ex cit. c. Romana 3. pr. in 6. Verbis, De Jure,* cum Glossa *ibi, & in c. Dilecti cit. V. Per hujusmodi,* desumunt *cit.* Panormit. *n. 9. & Maranta n. 374.* cum enim legitime præscripta consuetudo jurisdictionem tribuere possit non habenti, *c. Dilecti 4. de Arbitris & c. Cùm contingat 13. de Foro compet.* Barboſa *in pr. cit. n. 4.* multò magis iudicis eam habentis jurisdictionem valebit prorogare. Ita cum Glossa *in c. Romana cit. V. de Jure,* Panormit. *in c. Dilecti cit. n. 9. & Gonzalez n. 8.*

78. Quintò, si iudex proximi notoriè denegat iusticiam, vel rationabiliter suspectus & recusatus sit: si excommunicatione aliavè censurâ ligatus, vel detentus sit captivitate: si procul sit absens, vel in loco non tuto commoretur, eò omiſſò, superior adiri potest, *cit.* Maranta *n. 375. & Scaccia à n. 43.* ubi alios hujusmodi casus dabunt.

#### ARTICULUS VI.

### De Appellationis Interpositione ac Receptione,

#### SUMMARIUM.

79. Appellatio coram iudice, si potest:  
80. Secus coram aliis interponi potest,  
81. A definitiva sententia in continentia riva voce:

82. Ex intervallo interponitur in scriptis.

83. Quò modò ab interlocutoria saltem ad l'apam, appellatur.

84. Appellatio à definitiva nullius;

85. Ab interlocutoria certa causa expressiorem requirit;

86. Nisi vim habeat definitiva.

87. A definitiva ex quacunque causa,

88. Ab interlocutoria facta, solà causa expressâ iustificatur,

89. Nonnullis casibus exceptis.

90. Iudicis manus ligat interposita à definitiva:

91. Cui quoad appellationem equiparatur, qua vim habet definitiva.

92. Appellatio à definitiva recipi debet:

93. Nisi frivola sit.

94. Huic etsi deferre non tenetur iudex,

95. Superior tamen de ea,

96. Et de interlocutoria frivole factâ cognoscit:

97. Et causam aliquando remittit ad inferiorem:

98. Aliquando ipse desinit & exequitur.

99. De interlocutoria novissimo jure aliud est constitutum.

100. Appellationi interposita renuntiatio consentiente:

101. Non etiam contradicente parte adversâ, potest.

**I**nterponenda Appellatio est coram iudice, qui sententiam tulit, si is in loco publico haberi queat, *arg. l. 1. §. 10. ff. Quando appell.* Qui, si non unus, sed duo, vel plures de causa cognoverunt ac pronuntiârunt, coram omnibus simul congregatis: vel, si eorum copia simul haberi nequeat, separatim coram singulis, vel majori eorum parte appellatio interponi potest, *Clement. Si à iudicibus 1.* Sicutiam hoc fieri non possit, coram

coram uno, vel iis, quorum copia habetur, appellari potest, adjectâ protestatione, Panormit. in *Clement. cit. Vivianus pr. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 85.*

80. Si ne unius quidem copia detur, aut sententiâ gravatus, quò minus coram ipso iudice compareat, justò metu impediatur, protestatione super hoc interpositâ: vel, si metus etiam hanc excludat, absque ea coram viris probis & honestis, vel coram Notario & testibus provocare ad superiorem, *c. fin. vel hunc statim adire*, eique appellationem suam porrigere potest, *l. 1. §. 10. cit. & can. Biduum 29. §. Adeundi 2. q. 6. Panormit. in c. fin. cit. n. 3. ubi Barbosa à n. 18. & Laiman. n. 1.*

81. Non eodem autem modò à definitiva & ab interlocutoria iudicis sententiâ appellatur; ab illa enim, aliquando in continenti, aliquando ex intervallo, appellatio interponitur. In continenti, sive à iudice adhuc pro tribunali sedente, & antequam ad actus extraneos divertat, ea fieri potest vivâ voce & stante pede, ut loquuntur, proferendò verbum, *Appello*, vel *Provoco*, *l. Sed & apud 2. ff. l. Alitigantibus 14. junctâ Glossâ V. Illico, C. hic*, aut eis quoad sensum æquivalentia, v.g. *De Papa*, vel alterius superioris, *protectioni submitto, c. Ad audientiam 34. quod mox in Acta referri à Notario debet, c. Quoniam 11. de Probat. Maranta de Ord. Judic. p. 6. Tit. de Appell. n. 135. Scaccia de Appellat. q. 4. n. 18. & Pirrhing ad hanc*

82. *Rubric. n. 101.* Ex intervallo, sive, postquam iudex, à tribunali surgens ac recedens, ad extraneos actus divertit, non ampliùs provocatur vivâ voce, sed in scriptis, oblatò ei libellò appellatoriò, *l. A sententia 5. §. fin. ff. hic* Quis, adversus quem, à qua sententia, & ad quem provocetur, exprimente, *§. Ego, post can. Post appellationem, 2. q. 6. l. 1. §. fin. ff. hic* Speculat. *Tit. de Appellat. §. 6. pr. & cit. Maranta*

*n. 130. Nisi causa sit Summaria & momenti levioris; in talibus enim vivâ voce, nullòque libellò oblatò, appellari, etiam ex intervallo, potest. Auth. Nisi, C. de Sent. ex pericul. recis. Haunold. Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. n. 361.*

83. Contrâ ab interlocutoria iudicis sententiâ, vel extrajudiciali ejus gravamine, sive in continenti sive ex intervallo, appellatio interponatur, faciendâ est in scriptis, ex constitutione Innocentii IV. relatâ *c. 1. pr. in 6. quæ*, etsi à nonnullis DD. de quacunque, etiam ad iudicem Papâ inferioriorem, v.g. ab Episcopo ad Archiepiscopum, interpositâ appellatione exaudiatur, apud Haunold. *cit. Tract. 5. n. 362.* ipsis accedentem; ne, si ea nimis facilis & expedita sit, lites facilè protrahantur: hæc tamen Constitutionis extensio non probatur Hostiensis apud Gloss. *in pr. cit. V. Ad nos, Dominico n. 15. Archidiacono in can. fin. 3. q. 5. n. 6. Viviano in pr. cit. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 109.* cùm; quòd *pr. cit.* dispositio, quoad hunc articulum, correctoria sit Juris Civilis, appellationem apud Acta vivâ voce interpositam, *l. Sed & apud acta cit.* indistinctè admittentis, *Glossa in l. & V. Sed & apud cit.* ac proinde restringenda potius sit, quàm extendenda, *arg. l. Præcipimus 32. in fine, C. hic* tum verò; quòd in appellationibus ad sedem Apostolicam cautiùs agendum, & cavendum sit, ne facilè quid impetretur per subreptionem: quòd, si appellatio in scriptis fiat, faciliùs obtinetur.

84. Præter hanc aliæ quoque & notabiles differentię inter appellationes à sententiis, Definitivâ & Interlocutoriâ, intercedunt: Et primò quidem; quòd à definitiva, sive vivâ voce sive in scriptis provocetur, appellandi causâ in specie exprimi, non sit necesse: sed sufficiat, si provocans, sententiâ se gravatum generatim, ab eâque ad superiorem provocari, exponat, *D d d d 2 arg. l.*

D d d d 2

arg. l.



arg. l. Sed & apud cit. & c. i. cit. V. lu, qua  
 85. junciã Glossã V. Statuit, in 6. Ab interlocutoria autem interpositã appellationi, si gravaminis & appellandi iusta & rationabilis causa in specie non exprimatur, tanquam irritã deferre iudex non teneatur, c. Ut debitus 59. & cit. pr. c. i. in 6. Causã autem specificam expressionem in hac appellatione requirendi ratio fuit; ut debitus honor deferatur iudici *A quo*, præsumptionem pro se habenti: & appellandi licentiã refrenatã, litigantium laboribus ac sumptibus parcatur, Panormit. in c. Ut debitus cit. n. 1. Vivianus pr. cit. Maranta n. 154. & Gonzalez n. 14. eam huius discriminis rationem n. 18. reddens; quòd sententiam definitivam revocare iudex, à quo ea prolata est, non valet, l. Iudex 55. ff. de Re iudic. & l. Post sententiam 9. C. de Sent. & Interlocut. revocare autem possit interlocutoriam, l. Quod iussit 14. ff. de Re iudic. c. Cum cessante 60. hãc Rubric. & c. Si à iudice 10. ibid. in 6. eãque ob causam specialis ratio fuerit, causã expressionem specificam in appellatione ab interlocutoria potius, quã à definitiva exigendi; cum gravaminis causã expressã iudex moveri ad revocationem interlocutionis: non etiam, ut maximè vellet, moveri ab ea valet ad, Jure sibi non permissam, revocationem sententiã suã definitivã.

86. Excipienda tamen est Interlocutoria, habens vim sententiã definitivã; ab ea enim provocans ad specificam gravaminis causam exprimendam non adstringitur, Panormit. in c. Pervenit 28. n. 7. Sicut contrã ad eius expressionem adstringitur, qui appellat à sententia definitiva, à qua appellatio ordinariè Jure inhibita est; cum enim à tali sententia provocanti adverteretur præsumptio Juris, ei deferre iudex *A quo* non tenetur, nisi gravaminis & appellationis iusta causa, quã ea Juris præ-

sumptio elidatur, in specie exprimatur, cit. Maranta n. 155. Laiman, in c. i. cit. n. 2. cit. Gonzalez à n. 14. & Haunold, n. 364.

Secundò, appellatio à definitiva justificari potest non tantum ex certa, si quæ expressa fuit, sed quibuscumque, novis etiam causis & probationibus; ut Regulã instar sit, in secunda instantia allegari non allegata in prima, & in hac non probata probari posse, l. Scio 3. §. fm. hãc & l. Per banc 4. C. de Temp. appellat. du modo novæ probationes Jure non sint reprobatae: cujusmodi foret productio novorum testium super iisdem, vel directè contrariis articulis; propter periculum probationis: non etiam super articulis novis, dependentibus ab antiquis, ut Tit. 10. à n. 115. est explicatum. Ea autem, quæ interposita est ab interlocutoria, iustificari nequit ex novis & de novo probandis, sed solummodo ex causis, quæ in ipsa appellatione nominatim sunt expressæ, ut colligitur ex r. Causam 62. & aperte traditur Clement. Appellanti 3. pr. eãque ob causam, à iudice interloquente provocans ad superiorem, coram isto allegare & deducere nequit diverfam causam ab ea, quæ apud iudicem *A quo* fuit expressa, Glossa in Clement. cit. V. Dummodo, & ibi Panormit. n. 4. etiam si aliæ causæ notoriè faverent appellanti, cit. Glossa V. Alias quia notorium, licet relevet ab onere probandi, c. Tua 8. de Cobabit cler. & mul. non tamen relevat ab onere allegandi, cit. Maranta n. 154. & Barbosa in Clement. cit. n. 3. Ratio, cur huiusmodi appellationis justificatio ex novis causis non admittatur, est non solum; quòd, si in causa variari posset, ad litis prorogationem appellationes ab interlocutorius sæpe malitiosè interponerentur, & novarum causarum deductionibus protraherentur: sed etiam; quod non appelletur, nisi à gravamine, non

ne, non, quod post eam jam interpositam proponendum, sed, quod expressâ causâ illatum asseritur: & iudex *Ad quem* de ea duntaxat causa, quæ per appellationis viam ad ipsum delata est, cognoscere valeat ac pronuntiare, Panormit. *cit. n. 4.* & Vivian. in *Clement. cit. pr.*

89 Sed hoc Regulare duntaxat, non perpetuum est; cum non solum novas probationes causæ expressæ in appellatione, probationem exigente: sed novam quoque causam deducere ab interlocutoria appellans valeat. Primò, si illa post istam interpositam primùm orta, aut cognita fuerit; cum, quod hanc, non allegarit, appellanti non valeat imputari. Secundo, si oblatas gravaminis alias causas iudex *A quo* noluit admittere. Tertiò, si gravamen per sententiam definitivam irreparabile sit: cujusmodi foret, si iudex discerneret alicujus torturam, *cit. Maranta à n. 165.* ubi huiusmodi casus alios refert.

90 Tertiò, Appellatio à definitiva sententia ligat manus iudicis *A quo*, ut in causa procedere non possit, *l. 1. §. 3. ff. Nihil in nov. appell. interp. §. 1. Appellatione 3. C. hic*: non autem interposita ab interlocutoria: nisi ei iudex detulisset, aut damnum irreparabile afferret. *c. Non solum 7. in 6.* ut infra explicatius tradetur. Hoc loco.

91 Illud addendum est, appellationem ab interlocutoria, habente vim sententiæ definitivæ, quoad formam & effectum appellationis interponendæ & quoad alia etiam æquiparari ei, quæ interponitur à vera definitiva; cum, sicut hæc, sic etiam illa in continenti viva voce sine specifica gravaminis expressione fieri: & quando in ea certa causâ expressa est, non ex ea duntaxat, sed ex novis etiam causis, ac probationibus iustificari queat, & nequeat revocari: ab eaque interposita iudicis ma-

nus liget; ut ad eam sententiam esse definitivam, & definitivæ vim habere, quodammodo paria sint, Glossa *inc. fin. V. Inanes, de Elect. in 6.* Zoelius *in l. Quod iustit 14. ff. de Re iudic. n. 28.* Gaill. *Lib. 1. observat. 30. num. 5.* & Vallens. *ad hanc Rubric §. 9. n. 3.*

Appellationem à sententia sua definitiva legitime interpositam admittere, eique deferre iudex, tam Ordinarius, quam Delegatus, debet; non solum propter reverentiam iudicis superioris: sed sui quoque contemplatione; cum, si ea, quam protulit, sententia à superiore confirmetur, rectè iudicantis reportet laudem: si reformetur, partis gravamine sublatò ipsius conscientia releveretur. Neque injuriam sibi fieri exultimare debet eò, quod litigantes ad provocationis auxilium convolarint. *l. Et in majoribus 20. C. de Appellat.* cum injustam etiã ideo potuerit ferre sententiam; quod, parte jus suum non bene deducente, de ipsius causæ meritis non latis fuerit informatus. Quod si temerè & sine justa causa appellationem repudiarit, is, qui appellavit, nihilominus adire superiorem & coram eo appellationem, perinde ac si recepta esset, introducere potest: adversus ipsum autem iudicem triginta librarum auri, si Civilis; & si Criminalis causa sit, arbitraria poena constituta est Imperiali antiquò: Novissimò autem Jure damnum sustinet litis, & præterea decem libris mulctatur. *Novell. 126. cap. 3.* Jure Canonico, appellationi, saltem ad Papam interpositæ, non deferens, deponitur, *can. Decreto, 2. q. 6.* vel arbitrariâ poenâ in eum proceditur à superiore, ad quem est remittendus. *c. De Priore 12. hic, Specul. t. Tit. de Appellat. §. 9. n. 1.* & Maranta *de Ord. Judic. p. 6. de Appellat. n. 399.*

Hæc tamen in re excipiendi sunt omnes casus, quibus appellatio Jure inhibita est: 93.

D d d d 3

bita est:

bita est; tali enim casu aliquo & generaliter quacunq; appellationem, frivole ac frustratorie interpositam, non admittens, eaque insuper habitâ in causa procedens, ulli pœnæ obnoxius non est; cum tali appellationi deferre non teneatur, *c. Suggestum 15. hie & c. Cum appellationibus 9. in 6. ne, quod ad defensionem & gravaminum remotionem injustè oppressis indultum est remedium, ad innocentiam & justitiam opprimendam convertatur, Maranta cit. n. 399.*

Quin ita temerè in appellationis vocem prorumpens, illâq; receptâ succumbens Jure Civili pœnâ arbitrariâ coërcetur: appellatione autem non receptâ, superiori tamen adiens, litêque coram eo instauratâ succumbens, præter causæ amissionem patitur famæ jacturam, *l. A Proconsulibus 19. C. hie: &* si temerè provocet ab executione, eamque suspendat, victus 50. librarum auri animadversione mulctatur, *l. Ab executione 5. in fine, C. Quorum appell. non recip.* Hic tamen pœnarum rigor à Curia recessit, & hodie fere observatur Jus Canonicum, quò ita temerè appellantes ad judicem *A quo* remittuntur & condemnantur in expensis, *arg. c. Ut debitus 59. & c. Cum appellationibus cit. Speculat. cit. n. 1. & Haunold. Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. num. 440.*

94. Quare judex *ad Quem*, cum appellationi justam causam obstare, eamque contra Jus temerè interpositam, advertit, ei deferre non debet: neque ei, qui ita appellavit, petenti Apostolos alios dare, quàm Refutatorios, quibus frivolum appellationem non receptam, & Reverentiales seu Dimissorios Apostolos ex certa causa expressa denegatos, attestetur. Interea autem nihil innovabit, donec devolutionis articulus à superiore decisus, & bene malève judicatum, aut appellatum,

pronuntietur, *l. Sciendum 6. C. de Appell. recip.*

Devolutionis autem articulo discutendo, si judicatum malè, & bene appellatum, superior pronuntiavit, de causâ, tanquam per Appellationis viam ad le legitime devoluta, meritis ipse cognoscat, eamque secundum ista terminabit per sententiam definitivam, *l. Eos 6. C. hie:* & hanc, si per appellationem denuo interpositam non suspendatur, mandabit executioni. Si verò appareat, judicatum bene, & malè appellatum, sententiam prius latam confirmabit, atque etiam ipse exequetur, juxta dicta *Tit. 27. n. 124.*

Sicut à definitiva, ita Jure Decretalium spectato, ante eam ab interlocutoria legitime interposita appellatio recipienda: & contra frivola, hoc est, nullâ expressâ, vel ex non justa, aut justa quidem, sed manifestè falsa causa facta, à judice *A quo* repudianda est. Quod si eam non admittam appellans prosequatur, superioris, ad quem est appellatum, partes erunt, cognoscere, an ea legitime aut frivole interposita sit: & si frivole interpositam repererit, appellante in expensis condemnato, causam remittere debet ad judicem priorem, *c. Cum Ecclesia 38. & c. Ut debitus 59.* ut judicium, ubi captum est, ibi & finem accipiat, *l. Ubi 30. ff. de Judic. dicitur:* nisi iste appellationi à sua interlocutione frivole interposita detulisset, tali enim casu causam principalem ad priorem judicem remittere non tenetur: sed de ea cognoscere & definitive pronuntiare ipse potest, *c. Cum Appellationibus 5. in 6.* etsi æquum sit, ut eam ad priorem remittat: & iste de ea remissa cognoscere valeat, ex vi prioris suæ, non solum ordinariæ, sed etiam delegatæ jurisdictionis; quòd judicis etiam delegati jurisdictionis, quantumvis per appellationem abdicata, quoad exercitium quodammodo relucite.

resuscitetur & reviviscat, Franc. *in c. cit.*  
 §. Si verò, num. 2. Gaill. *Lib. 1. observat.*  
 131. n. 3. & Pirrhing *ad hanc Rubric. n.*  
 195. not. 5.

98. Si verò, rectè appellatum, & malè  
 judicatum, appareat, locus non est remil-  
 sioni causæ principalis ad judicem prio-  
 rem: sed superior, sive Appellationis ju-  
 dex de ea, tanquam ad se devoluta cog-  
 noscere ac pronuntiare debet, *l. Eos 6. &*  
*c. Ut debitus cit. in fine, ubi Glossa V. Alio-*  
*qui, Bartol. in l. Eos cit. n. 10. Gaill. Ob-*  
*servat. cit. n. 2. & Barbosa in c. Ut debi-*  
*tus cit. n. 7. ut aded, cum bene appella-*  
*tum est, superior sive appellationis judex*  
*hòc casu de eo etiam articulo cognoscat,*  
*in quo appellatum non fuit. Ratio est;*  
*quòd cum ab interlocutoria non nisi pro-*  
*pter gravamen illatū appelletur, eum, qui*  
*ab ea rectè provocasse judicatur, à judice*  
*A quo indebitè gravatum appareat, nec ad*  
*eum denuo remittendus sit, propter præ-*  
*sumptionem & periculum gravaminis,*  
*in posterum inferendi, l. Eos cit. Haunold,*  
*Tom. 5. de J. & J. Trañ. 5. n. 497.*

99. Dixi, *Jure Decretalium;* quia moder-  
 nò appellationes ab interlocutoriis,  
 definitivæ vim non habentibus, & gra-  
 vamen per definitivam sententiam irre-  
 parabile non inferentibus, interpositæ per  
 quemcunque superiorem Papà inferio-  
 rem, recipi prohibentur à S. Synodo Tri-  
 dent. *Seß. 24. cap. 20. de Reformat.*

100. Dubium hìc est, an appellans poen-  
 tere & appellationi renuntiare possit.  
 Interponendæ renuntiare ab eo posse, pla-  
 num est ex dictis *Tit. 27. n. 69.* adversariæ  
 partis consensu idem ei circa jam interpo-  
 sitam permillum, vix est, qui ambigat; cum  
 id argumentò à contrario ductò ex *c. In-*  
*terposita 70. §. Illi,* indubitatè inferatur.

101. An interpositæ renuntiare, & ad in-  
 ferio-rem judicem redire valeat, adversa-  
 riò invitò & contradicente, controver-

sum, eaque in re à Nonnullis receptum  
 est discrimen inter Sententias; ut ab In-  
 terlocutoria quidem, non etiam à Defini-  
 tiva, & istius vim habente, interpositæ ap-  
 pellationi valeat renuntiare. Sed fre-  
 quentiori & saniori calculo alii, in adver-  
 sariæ partis præjudicium renuntiare à neutra  
 sententia interpositæ appellationi posse,  
 defendunt; quòd consilium suum in al-  
 terius præjudicium mutare nemo possit,  
*l. Nemo 75. ff. de R. J. quod appellationi*  
*renuntiandò fieri liquet; cum enim hæc*  
*interposita evadat communis litigantium*  
*utrique, & jura ante non deducta allega-*  
*re probarèque, & sententiæ in favorem*  
*suum reformationem petere, non solum*  
*appellans, sed & appellatus possit, l. fin.*  
*C. hic, §. l. Per hanc 4. C. de Temp. appell.*  
 hoc interpositæ appellationis comodum  
 intetvertere & adimere, invitâ & contra-  
 dicente una parte, altera, non potest, Pa-  
 normit. *in §. Illi cit. n. 4. Gaill. Lib. 1.*  
*observat. 122. n. 3. Scaccia de Appellat.*  
*q. 17. limit. 2. n. 95. Hunnius in Treutl.*  
*disp. 33. q. 24. & Pirrhing ad hanc Ru-*  
*bric. n. 191. Unde proposita appellan-*  
*tis renuntiatio non impedit, quòminus*  
*adversa pars, quæ ex appellatione sperat,*  
*commoda consequatur, & prosequatur.*

#### ARTICULUS VII.

#### De Fatalibus Appella- tionis.

#### SUMMARIUM.

102. *Fatalia dicuntur tempora Appel-*  
*lationis;*  
 103. *Qua interponenda est intra decem-*  
*dium,*  
 104. *A die sententia lata & nota,*  
 105. *Vel quò gravamen timeri, aut in-*  
*ferri capit.*

106. *Appel.*

106. Appellanti dantur Apostoli,  
 107. Quorum quinque species sunt.  
 108. Recipiendi ij sunt intra 30. dies,  
 109. A die, quò potuit appellari.  
 110. Tempus hoc iudex A quo restringe-  
 re,  
 111. Usque presentandū terminum pra-  
 figere potest.  
 112. Prosequenda Appellationi Jure da-  
 tu est annus,  
 113. A lata sententia, vel illati grava-  
 minis die computandus.  
 114. Biennium aliquando conceditur ex  
 justa causa,  
 115. Se tenente ex parte alterius,  
 116. Vel utriusque litigantium,  
 117. Tempus mutuo consensu valentium  
 prorogare:  
 118. Vel ex parte iudicis, aut alicujus  
 tertii:  
 119. Vel ex casu proveniente.  
 120. Tertius annus non conceditur:  
 121. Nisi ob impedimentum omnino in-  
 dubitatum.  
 122. Tempus hoc restringi à iudice,  
 123. Et ab ipso etiam litigante potest.

102. **F**atalium nomine hinc veniunt tem-  
 pora, quibus exactis Appellatio,  
 vel non conceditur, vel concessa  
 & interposita, aut jam introdu-  
 cta extinguitur & quasi emoritur: cujus-  
 modi quatuor à DD, referuntur.

103. Primum est Appellationis interpo-  
 nendæ: quod, licet antiquò ei, qui cau-  
 sam propriam, biduum: qui verò alie-  
 nam sive procuratorio nomine agebat,  
 triduum fuerit, *can. Biduum 29. pr. 2. q.*  
*6. l. Eos, qui, 6. §. fm. C. hic, §. l. 1. §. 5. J.*  
*ff. Quando appell.* Novo tamen Jure,  
 C. v. li & Canonico sunt decem dies, à die  
 sententiæ, tam interlocutoriæ, quàm de-  
 finitivæ, aut illati gravaminis extrajudi-  
 cialis, numerandi, sive proprio, sive pro-

curatorio nomine sit actum, *Novell. 23.*  
*cap. 1.* Unde sumpta est *Aub. Hodie,*  
*C. hic, can. Anteriorum 28. in fine, 2. q.*  
*6. §. c. Concertationi 8. hic, in 6.* Quorum  
 proinde dierum ultimus est fatalis; ut,  
 eò elapsò, appellandi facultas intereat, &  
 quasi expiret, *l. fm. C. de Temp. appell.*  
 sententia verò consequatur rei iudicatur  
 auctoritatem, *c. Quod ad 15. in fine, de*  
*Sent. & re judic. Speculat. de Appellat. §. 5.*  
*n. 1. Maranta de Ord. Judic. p. 6. Tit.*  
*de Appellat. n. 213. & Gaill. Lib. 1. Ob-*  
*servat. 139. n. 2.*

Computandum est hoc decennium tem-  
 pus, aliquando à die & momento senten-  
 tiæ latæ, quando scilicet appellans ejus  
 pronuntiationi per se, vel procuratorem  
 adest: de quo casu accipienda est *Aub.*  
*cit. Glossa in Clement. Sicut 3. V. A die,*  
*§. cit. Maranta num. 214.* aliquando verò  
 ejus cognitæ, quando scilicet appellans  
 à iudicio non contumaciter abest; hòc  
 enim casu decennium, non à pronuntia-  
 tione, sed ab illius eaque illati gravami-  
 nis notitia computandum, defumitur ex  
*l. 1. §. 7. §. 5. fm. ff. Quando appell. l. 1.*  
*C. de Temp. appell. §. c. Concertationi 8.*  
*in 6. verbis, Infra decem dies (postquam*  
*serverit) appellet. post decennium verò*  
*eisdem non pateat aditus appellandis, Bar-*  
*bola in c. cit. num. 6. & Gonzalez in c.*  
*Quod ad cit. n. 4.*

Quando gravamen non illatum, sed  
 primum inferendum est, etiam post de-  
 cennium à die, quâ id ccepit timeri, &  
 donec actu inferatur, appellari potest,  
 Glossa in *c. Concertationi cit. V. Grava-*  
*riu & ibi Laiman. n. 2.* Idem contingit,  
 cum gravamen iam illatum, tractum suc-  
 cessivum & causam continuam habet; ut,  
 cum quis in carcere detinetur, ad locum  
 non tutum citatur &c. ab isto enim ap-  
 pellare licet, quamdiu durat: dummo-  
 do gravamen præfens, v.g. durans incar-  
 ceratio

seratio allegetur, & iudex incarcerationem iustam, vel locum tutum esse, per sententiam interlocutoriam non pronuntiari; huiusmodi enim sententia decidii lapsu in rem iudicatam transiret, & ulterius appellandi adimeret facultatem; quia generatim contra ius partis lata sententia, si ab ea intra legitimum tempus non provocetur, rei iudicatae auctoritatem sortitur, *l. Cum prolati 32. ff. de Re iudic. Gaill. Lib. 1. observat. 139. n. 14. & Haunold. Tom. 5. de J. & J. tract. 5. n. 449.*

Quantumvis autem ad appellationem interponendam indultum à Jure decidium principio utile sit, & ignorantiam, tanquam legitime impedito, qui verè contumax non est, non currat: in progressu tamen continuum est; ut à sententiae latae, eave illati gravaminis notitiae momento ad momentum, v.g. ab hora decima diei 8. Septembris usque ad eandem horam diei 18. ejusdem mensis duret, & ferias etiam solennes includat, *l. Sive pars 3. C. de Dilat. & l. 1. C. de Feria*: neque id immerito; cum & ipsis diebus feriatis appellatio valide interponatur, Gonzalez *in c. Quod ad cit. n. 5.*

106. Alterum, petendi & recipiendi Apostolos. Sunt autem Apostoli literae, quibus iudex *A quo* iudici, *Ad quem* provocatum est, significat, an detulerit, vel non detulerit à sua sententia, tam interlocutoria, quam definitiva, interpositae appellationi, *l. Unica, ff. de Libell. dimiss. & l. Dimissoria 106. ff. de V. S.* Eorum ab aliquibus tres: ab aliis quinque species referuntur, scilicet Apostoli Dimissorii: qui sunt literae iudicis *A quo*, appellationi à sententia sua deferentis, iisque iudici, *Ad quem* provocatum est, fidem facientis de illa, apud se interposita & admissa, *l. cit. & can. Ab eo, 2. q. 6. & c. Ab eo 6. hic in 6.* Reverentiales, quibus iudex addit, appellationi apud se interpositae, non ob

causam iustitiae, sed solummodo ob honoris & reverentiam superioris delatum, *c. 1. ibi, Si appellationi ex reverentia sit delatum, hic in 6.* Refutatorii, quibus idem, appellationi à se non delatum, adiecta ejus rejectae causae, significat iudici, *Ad quem* est provocatum, *c. 1. cit. & l. fin. §. 1. C. hic.* Testimoniales, quibus Notarius, vel alii viri honesti, cum iudicis copia haberi non posset, coram se appellatum, testificantur. Et demum Conventionales, quos pars adversa, in appellationem, sive in iudicio, sive extra hoc, consentiens concedit, *c. Sape 44. Panormit. in c. Bone 51. n. 9. Speculat. Lib. 4. de Appellat. §. 3. n. 1. Scaccia de Appell. q. 13. anum. 3. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 139.* Hodie Reverentiales potissimum in usu esse: & ne Iustitiae viam praeccludere velle videantur, non facile Refutatorios, sed ferè Reverentiales aut Dimissorios tantum dari, Pragmatici monent apud Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 5. n. 415.*

Petendis ac recipiendis Apostolis Olim quinque, *can. Ab eo cit.* Hodie 30. dies sunt praescripti, *c. Ab eo 6. pr. in 6. & l. Iudicibus 24. C. hic*: intra quos, congruo loco & tempore instanter, & saepius instanter, instantius, instantissimè, saltem uno contextu peti debent: & si non petantur, vel intra dies illos (aut etiam breviorum terminum, quem iudex ex iusta causa potest assignare, Panormit. *in Clement. Quamvis 2. n. 6.*) non recipiantur, appellationi renuntiatum, eaque deserta praesumitur, *c. Ab eo, & Clement. cit.* saltem, si, qui appellavit, eos recipere potuisset, Joan. Andr. *in c. Ab eo cit. n. 3. ubi Gemin. n. 3. citr. Speculat. n. 13. & Maranta n. 219.* si verò iudex appellanti, eos rite petenti, non tradat: sed in causa procedat, ejus processus & acta ipso Jure nulla sunt, *c. lte super 4. in 6. & si intra praefixum tempus, quo se daturum promissit, eos appellanti in-*

E e e

lanti in-

lanti instanter & sæpius petenti non exhibeat, iste appellationem prosequi potest, perinde ut, si ei expressè denegentur, *citt. c. Ab eo & Clement. §. fin.*

**109.** Porro prædicti triginta dies continui sunt, & appellanti currere probabiliter incipiunt à die appellationis interpositæ, vel quò provocans sententiæ latæ habuit notitiam & appellandi facultatem, ut *l. Judicibus cit.* ferè exaudiunt DD. Cujus rationem reddit Vallenf. *hic §. 10. n. 5.* quia, si ei curreret à tempore latæ sententiæ, posset appellanti, eam latam esse ignoranti, præcludi tempus petendi Apostolos; cum tamen ei præclusum non sit tempus appellandi, ut aliis DD. relatis observant *citt. Maranta n. 220. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 143.*

**110.** Ille autem trigina dierum terminus, pro Apostolis recipiendis Jure constitutus, à judice *A quo*, licet produci nequeat, restringi tamen & brevior præscribi potest, *Clement. Quamvis 2.* ut ab ipso præscriptus succedat in locum termini Juris, & eundem, quem ab isto præfixus, habeat effectum, *c. Ex insinuatione 50.* ut, qui appellavit, intra eum Apostolos non petens, aut recipiens, appellationi censeatur renuntiâsse *Clement. cit. pr. V. Verum.* Ratio autem abbreviationis permissæ est; quòd judex quoad ea, quæ ad celeriore appellationis expeditionem pertinent, jurisdictionem retineat: & à Jure dati termini longitudo ipsius commodum & favorem spectare videatur; ut ei non prohibeatur renuntiare, *citt. Maranta n. 223. Scaccia n. 44. Vallenf. §. 10. n. 6. & Gonzalez n. 8.*

**111.** Tertium Fatale præfixum est appellationi introducendæ, sive Apostolos judici *ad quem* presentandi: quod, etsi *l. Tempora 2. pr. §. l. fin. C. de Temp. appell.* varium constitutum sit pro judicium aut locorum varietate, secundum Ordinationem tamen Camerae Imperialis *p. 2. Tit.*

*3. §. 2. & 5.* complectitur sex menses qui currere incipiunt à die, non latæ sententiæ, sed interpositæ appellationis, teste Gaill. *Lib. 1. observat. 140. n. 1.* Jure autem Canonico ejus determinatio judiciis arbitrio relinqui videtur, *c. Personæ 4. ibi, Tu eis diem assignes:* quò Relictò Alexander III. respexisse videri potest ad *l. Præses 5. verba, Tempus quod ad reddendos Apostolos præscriptum est, C. hac Rubr.* Quod si judex *A quo* præsentandæ appellationis terminum non assignet, cum Jure Canonico nihil statutum reperitur, vel observandum erit tempus definitum à Jure Civili: vel, quod Gonzalez *in c. Cum sit 5. n. 10.* monet, satis erit, inchoare & finire appellationem intra tempus, à Jure concessum ad eam finiendam.

Postremum datù est appellationi prosequendæ & finiendæ, ad quam, à quocunque, etiam extrajudiciali, gravamine provocatum sit, utroque Jure annus, & ex justa causa biennium conceditur, *c. Cum sit 5. pr. Auth. Et, qui, §. l. fin. §. 4. C. de Temp. Appell.* Intra quod tempus, si provocans appellationem, justo impedimento cessante, non fuerit prosecutus, ea delicta censebitur, *§. 4. cit. & Clement. Sicut 3. Ubi Panormit. n. 1. & cit. Gaill. Observat. 41. n. 1.*

**112.** Currere autem de Jure Canonico hic annus aut biennium incipit à die interpositæ appellationis, si in judicio appelletur. Quod si hoc fiat extra judicium, multum interest, an à jam illato, vel primum inferendo seu futuro gravamine appelletur; priori enim casu, sicut, cum in judicio appellatur, ab interpositæ appellationis: posteriori autem, non ab illius, sed ejus, quod inferendum timebatur, gravaminis actu illati die annus inchoatur, *Clement. cit.* ut adeò anticipata appellatio à futuro gravamine quodammodo involvat conditionem, si gravamen actu in-

actu inferri contingat; & propterea trahatur ad illius actu illati tempus, ab eoque exordium sumat annus prosequendæ appellationi constitutus à Jure, & biennium ex justa causa ab homine concedendum, Vivianus in *Clement. cit. & in s. Cùm sit 5. Wamef. num. 8. & Gonzalez n. 10.* Jure, inquam, *Canonico*; quia de Civili res non ita liquet, & controversa est inter DD.

In Camera Imperiali & aliis Tribunalibus majoribus, etiam Ecclesiasticis, ob multitudinem causarum ferè non attenditur fatale appellationis prosequendæ: dummodo observentur, quæ ad eam interponendam sunt concessa, & longioris moræ causa non sint ipsi appellantes, Gaill. *Lib. 1. observat. 141.* qui etiam apud *cit. Haunoid. n. 466.* monet Procuratores locorum, in quibus omnia fatalia observantur, ut; si intra biennium appellatio ad finem non perducatur, de sua diligentia & fatalium lapsu protestentur.

114. Causæ, ob quas ad appellationis prosecutionem & terminationem biennium concedi, ex Juris permissione potest, variæ sunt: & earum quædam se ex parte personarum appellantis, vel appellati, vel utriusque: aliæ ex ipsius judicis, vel alicujus tertii parte se tenent: aliquæ ex casu fortuito proveniunt.

115. Ex parte appellantis sunt adversa valerudo, inopia, ex eaque proveniens defectus sumptuum, ad appellationis prosecutionem necessariorum: absentia causâ Republicæ, captivitatis &c. Panormit. in *c. Exratione 8. n. 4. & Vallens. hic §. 13. n. 2.* quia his ab appellationis prosecutione legitimè impeditur, *arg. c. cit.* legitimè autem impedito tempus, ac proinde prosequendæ & finiendæ appellationis fatale non currit. *arg. c. Quia 5. de Concess. Prabend. & l. Quod te 5. ff. de Reb. credit.* ut uno cæpto ad ejus prole-

ctionem admittatur, eique alter annus concedatur, Gonzalez in *c. Cùm sit cit. num. 11.*

Ex parte ipsius appellati, sive adversarii, ab isto per frustratorias dilaciones, exceptionesque, aliæ per se aut alium objecta impedimenta procuratæ judicii protelationes, *cit. Panormit. num. 8. & Vallens. n. 4.*

116. Ex parte utriusque, si pendente appellationis prosequendæ tempore compromiserint in arbitros, *Clement. Quamdiu 4. & Aub. Si tamen, C. de Temp. appell.* Imò etiam, si iter, vel peregrinationem uterque susceperint, aut aliàs mutuo consensu ejus finiendæ terminum prorogaverit, ut contra Panormit. *cit. n. 8.* docent Felinus in *c. Exratione cit. n. 2.* Maranta de *Ord. judic. p. 6. Tit. de Appellat. 2. n. 225.* Scaccia de *Appellat. q. 15. art. 3. n. 165.* Vallens. *§. cit. n. 5.* & alii; partim, propter satis claros textus *Clement. & Aub. cit. & l. fin. §. 6. C. de Temp. appell.* quæ partes, ut nullum fatale observetur, pacifici permittuntur: partim; quia terminus appellationis prosequendæ & finiendæ in favorem partium non minùs constituitur, quàm terminus à delegante ad causam expediendam præfixus delegato; ac proinde, sicut iste, *c. De causis 4. de Offic. deleg. & l. Consensisse 2. §. 2. ff. de Judicis,* sic etiam ille communi partium consensu poterit prorogari, *arg. c. Si de Terra 6. de Privileg.*

117. Pugnare quidem cum hac doctrina videtur textus *c. Oblata 57.* quò temporis, ad appellationem prosequendam à Jure indulti, sicut abbreviatio permittitur, sic prorogatio difertè negatur: & paritas triennii, ad causam principalem in prima instantia finiendam præscripti: cujus prorogatio partium consensu, etiam cum juramento, & per viam compromissi, permissa non est. secundùm Glossam a DD.

Et cæ

receptam



receptam in l. *Properandum* 13. *V. Trienni*, *C. de Judiciis*. Sed re ipsa textus non aduersatur; quia eod terminum prorogatio soli appellanti, aut iudici negatur: consensu autem utriusque partis fieri textu illo non prohibetur; ac proinde *Clement.* & ceteris textibus allegatis standum est. Neque paritas est cum termino primæ instantiæ, cum; quia, sicut istius terminum prorogari per viam compromissi posse, *Glossa cit.* disertè negat, sic eum, qui appellationis prosecutioni præfixus est, prorogari compromisso posse, *Clement. cit.* disertè affirmatur: tum verò; quia plus præiudicii affert peremptio in instantia secunda, quàm in prima; cum ista perempta sola Acta iudicii Ordinatoria pereant, integro manente agendi iure: quod tamen perimitur pereunte instantiâ secundâ; nam ista perempta sententia iudicis *A quo* transit in rem iudicatam, *Clement. Si appellationem* 6. Unde termini finiendæ appellationi præfixi prorogatio merito facilius permittitur, quàm ejus, qui à Jure constitutus est instantiæ primæ, *cit.* Maranta num. 226. *Vallenf. num. 6.*

118. Ex parte iudicis, biennii pro appellationis prosecutione concedendi, iusta causa datur, cum iste ob infirmitatem vel aliam causam non sedet pro tribunali, vel aliàs per eum stat, quò minus appellationis causa intra debitum terminum ad finem perducatur, *Glossa in c. Ex ratione cit. V. Per impotentiam.*

Ex parte verò alicujus tertii, cum procurator negligit causæ prosecutionem, vel hæc à nuntio, vel alio quopiam impeditur, *cit.* *Glossa & Panormit. n. 8.* quò tamen casu appellationis tempus currit & secundus annus non indulgetur: sed ad damna & interesse præstandum actio datur aduersus procuratorem, vel tertium impediendum, *Glossa in c. Ex ratione cit. V.*

*Impotentiam Panormit. cit. n. 8. & Vallenf. num. 10.*

Demum casus fortuitus prorogationi iustam causam præbet, cum v.g. via ad iudicium ab hostibus sunt oblecta, aut causæ appellationis procurator interceptus, *Vallenf. §. cit. n. 11. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 170. in fine:* quorum tamen DD. ille §. 14. n. 1. iste n. 171. rectè monet, ut ex huiusmodi impedimento, seu causa aliqua alter annus concedatur, eam ab appellante evidentibus argumentis probandam: quod *c. Ex ratione cit.* verbis, *Dummodo confiterit*, innuatur, & clarè traditur *c. Cum sit §. 5. l. fin. §. 4. C. de Temp. appellat.* Unde

Dubium oritur primò, an ad appellationis prosecutionem tertius annus aliquando valeat concedi. Secundum annum, spectatò Jure, omnino fatalem, eoque lapsò appellantem ad causæ prosecutionem non amplius admitti, censet *Gonzalez in c. Cum sit. cit. n. 12.* quòd istius *c. textu* post lapsum biennii appellans amplius admittus non sit, etsi iustum impedimentum allegarit. Id ipsum suadet ratio; quia præsumptio Juris est, quamlibet causam, quantumcunque arduam ad finem perducì intra biennium posse: dummodo appellans secundum præscriptum Juris eam summa ope summoque opere & studio prosequatur; indeoque iste terminus à Jure præscriptus est, ut tantò certior celeriorque sit litium finis, *c. Finem §. de Dolo §. l. Properandum* 13. *pr. C. de Judiciis*, *Vallenf. l. b. §. 14. n. 10.*

Neque obstat; quòd *c. Ex ratione cit.* post biennium deferatur appellanti: dummodo prosecutionem ipsius appellationis per impotentiam confiterit omisam esse; quia licet casu, quò de impedimento indubitatè constat, ad appellationis prosecutionem tertium annum iustar secundum

secundi concedendum, aliqui satis probabiliter desumant ex *e. cit.* textu & communi Regula, quâ legitime impeditis tempus non currere dicitur, *e. Quia §. de Concess. Præbend.* cum imputari non debeat ei, per quem non stat, si non faciat id, quod per eum fuerat faciendum, ut habet altera Regula, quæ est *41. in 6.* Alii tamen tali casu impeditum non ipsò Jure, sed beneficiò restitutionis in integrum ex clausula generali, *l. 1. in fine. ff. Ex quibus caus. major.* illæsum servari, volunt apud Barbosam in *e. Ex ratione cit. n. 2.* & Gonzalez *n. 12.*

**122.** Dubium secundò est, an etiam Jure concessum tempus valeat restringi. Quod DD. passim & bene resolvunt, dum iudici, à quo appellatum est, introducendæ appellationis tempus brevius aliquando præfigendi facultatem adstruunt; ut, si appellatione intra illud tempus introducere & prosecutione inchoare appellans negligat, ea haberi valeat pro deserta, & appellans sententiæ ab eò latæ parere cogatur, *e. Cum sit cit. §. c. Ad aures 33.* præfigi tamen ab eo posse, negant, terminu breviorum, intra quem causa appellationis debeat finiri; propter textum *e. Insinuatione 50.* Rationem reddunt; quòd iudex *Ad quem* sit ipsò superior; ac proinde huic præscribi nequeat lex, vi cuius intra certum tempus causam teneatur expedire, *cit. Vallens. §. 12. n. 5. Barbofa in e. cit. n. 2. & ibi Gonzalez n. 4.*

**123.** Dubium tertio est, an prosequendæ & finiendæ causæ appellationis fatale restringi valeat ab ipso appellante. Ratio dubitandi est; quòd restringi nequeat ab ejus adversario. Sed, hoc non obstante, à Jure concessum tempus restringi ab ipso appellante & brevius reddi posse, satis receptum & clarè expressum est *e. Persona 4.* modò spectatis circumstantiis congruum sit, *e. Consuevit 4.* quia sic favori à

Jure pro se principaliter introducto videtur renuntiare. Neque refert; quòd id non permittatur adversario; quia non debet esse in istius potestate, terminum adversario suo à Jure indultum coarctare, & legem ponere, ipsi præjudicantem, Panormit. in *e. Cum sit cit. n. 6.* Vallens. §. *cit. n. 4.*

## ARTICULUS VIII.

## De Effectibus Appellationis, &amp; post hanc Attentatis.

## SUMMARIUM.

- 124.** Appellatio causam devolvit ad superiorem.  
**125.** Jurisdictionem inferioris iudicis non semper,  
**126.** Plerumque tamen suspendit;  
**127.** Ut post ipsam interpositam,  
**128.** Et latam sententiam definitivam nihil valeat innovare,  
**129.** Saltem, si frivola non sit.  
**130.** In aliis tamen causis procedere,  
**131.** Nec recusari potest:  
**132.** Nisi, malè ab ipso judicatum, fuerit pronuntiatum.  
**133.** Etiam post appellationem ab interlocutoria,  
**134.** Et ab extrajudiciali gravamine interpositam aliquid innovari nequit,  
**135.** Aliter tamen post eam, quàm post appellationem à definitiva innovata revocantur.  
**136.** Ea revocatio fit à iudice Ad quem,  
**137.** Et viâ seu remedio Attentatorum:  
**138.** Quod Unde vi Interdictò uberius est.

E e e 3

Appel.

124.

**A**ppellationis à sententia definitiva legitime interposita duo celebres sunt Effectus: quorum alter Devolutivus, alter Suspendivus nuncupantur.

Devolutivus in eo situs est; quod causa, super qua est appellatum, ejusque cognitio cum omnibus accessoriis à iudice inferiore devolvatur ad superiorem, ad quem est provocatum: & huic tribuat jus ac potestatem cognoscendi de iustitia appellationis: & si hanc iustam ac legitime interpositam esse constiterit, cognoscendi ac definitivè pronuntiandi de ipsa causa principali, *c. Dilectus 55. e. Ut debitu & c. Romana 3. §. Si verò in 6.* Sic enim, quantumvis Archiepiscopus non habeat jus & jurisdictionem in suorum suffraganeorum subditos, ab his tamen adiri per viam Appellationis, & de causis, per hunc ad se devolutis, tanquam iudex Ordinarius cognoscere: Suffraganeorum sententias, si iustæ, confirmare, aut, si iniustæ videantur, omnino, vel ex parte infirmare potest: vel, si res poscat, sententiam omnino novam concipere & partibus publicare, *arg. c. Raynaldus 18. de Testam. ut desumitur ex can. Nullus Primas 7. can. Conquestus 8. & c. 9. q. 3. c. Pastoralis 11. pr. de Offic. Ord. c. 1. eadem Rubr. in 6. & c. Romana 3. h. c. Rubr. in 6.*

125.

Atque hunc effectum appellatio aliquando operatur, etsi non operetur suspendivum, præsertim, quando ea interponitur à sententiis Censurarum; quantumvis enim sententia v.g. Excommunicationis absolute inflicta, postea interposita appellatione, non suspendatur, sed secum trahat executionem, eaque fulminatum statim liget; ut ei, tanquam à fidelium communione excluso, proventus Ecclesiastici subtrahi valeant, *c. Ad hæc 37. c. Pastoralis 53. §. Verum hic, & c. Is, cui 20. in fine, de Sent. Excom. in 6.* caulam ta-

men transfert ad superiorem, ad quem est provocatum, *Glossa in c. Ad hæc cit. V. Interdictum, Panormit. ad hanc Rubric. n. 5. Sylvester V. Appellatio, n. 1. Barboza in c. Pastoralis cit. n. 5. & Gonzalez in §. Verum cit. n. 3.*

Suspendivi effectus vi sine alia inhibitione suspenditur jurisdictione iudicis, à quo est appellatum; ut neque ejus sententia transeat in rem iudicatam, neque executioni mandari possit, *c. Dilectus cit. c. Venientes 19. de Jurejurando, & l. 1. §. fin. ff. ad S. C. Turpill.* neque ipse, dum appellatio pendet, regulariter valeat aliquid innovare, sive in ea causa, in qua provocatum est, immutare: sed in eo statu, quod appellationis interposita tempore fuerunt, quamdiu de ea superior cognoscit, omnia sint relinquenda, *c. Directa 39. & l. Unica ff. Nihil innovari appell. interp. Maranta de Ord. Judic. p. 6. de Appellat. n. 173.* Si verò iudex à Quo, aliquid eò tempore immutandò, innovarit, per viam seu remedium Attentatorum revocari & omnia in pristinum statum restitui debent, *c. cit. V. Quia tamen, l. Sciendum 6. ff. l. Ex illo 13. C. hic, & c. Non solum 7. pr. in 6.* cum enim appellatio appellatam quoad causam, in qua provocatum est, eximat à jurisdictione iudicis à Quo, eamque suspendat, quidquid interim circa statum causæ innovandò attentat, factum censetur à non iudice, sed à iudice in illa causa jam incompetente, Anchoranus in *c. Non solum cit. pr. Covarruvias Practic. cap. 23. n. 1. & Vallens. hic, §. 15. n. 2.*

Neque solum revocantur, quæ post appellationem interpositam: sed ea quoque, quæ ante ejus interpositionem post sententiam latam intra tempus decendii, ad appellandum concessi, fuerunt attentata. *c. Non solum cit. pr.* cum enim tempus illud à jure indultum sit ad appellandum, nihil eò pendente debet innovari; ne per senten-

sententiam gravatis indultum à Jure beneficium, ipsis damnosum aut inutile reddatur, contra Reg. *Indultum* 17. in 6. Gonzalez in c. 1. n. 6. Unde appellatio, quæ est in proxima potentia idem operatur, quod ea, quæ actu interposita jam fuit. Neque id immeritò; cum aliquid actu existere, & esse proximè exiturum, paria: & ejusdem rationis esse censeatur jus in proxima Spe, cuius est jus in Re, Anchoran. in c. cit. not. 4.

129. Porro, ut utrumque hunc effectum Appellatio à sententia definitiva producat, necesse est; ut, juxta dicta, interposita sit legitimè; quia, si ea manifestè frivola & frustratoria; ideoque Apostoli tantum Refutatorii concessi essent, judex ad ulteriora & sententiæ executionem procedere non prohibetur, c. *Cùm Appellationibus* 7. in 6.

Dictum etiam supra est, *In causa, in qua provocatum est*; quia in aliis ab ea diversis, tam Criminalibus, quam Civilibus, causis judex *A quo* contra appellantem procedere permittitur, c. *Præterea* 22. & c. *Proposuit* 24. Ratio est; quia appellans ab illius jurisdictione solum eximitur quoad causam appellationis: ad quam non solum Ordinarii judicis jurisdictione se extendit, c. 1. de *Offic. Ordin.* Ubi

130. Dubium movetur, an judex, à quo in una causa est appellatum, non idcirco quoad alias recusari valeat, tanquam suspectus. Affirmat id cum Glossa in c. *Proposuit* cit. V. *Non debet*, Maranta de *Ord. Judic.* p. 6. Tit. de *Appellat.* n. 6. propter textus c. cit. & c. *Ad hac* 6. Negant in c. cit. Panormit. n. 2. & Felinus n. 1. propter non minus claram Rubricam & l. *Unic.* ff. *Apud eum, à quo appellatur, alsam causam agere compellendum.* Ratio est; quia Appellatio non est iusta causa offensionis; cum per ipsam iudici nulla iniuria interatur, l. *Et in majoribus* 20. C. *hic*:

Imò ea huic deberet esse exoptata; cum, si malè, sententiæ confirmatio ipsi honori: si verò, bene provocatum, à superiore pronuntietur, sententiæ revocatio, vel correctio ipsius conscientiæ levamini sit futura. Bartolus in l. *Unic.* cit. Civile Jus existimat. c. cit. esse correctum: & propterea reculationi, Rubr. & l. *Unic.* cit. non permittit, locum esse de Jure Canonico, à Legibus hac in re divertente; quòd experienciâ compertum sit, multos judices provocationi à sua pronuntiatione adeò indignari; ut partes eà gravatæ, offensionis timore appellationis vocem vix audeant proferre.

Hic Bartoli de controversia sensus, licet cum Jurium tenore satis conveniat, non displicet tamen etiam Opinio Gonzalez in c. *Ad hac* cit. n. 2. utrumque Jus in concordiam reducere nitentis asserendò, solà appellatione interposità, & adhuc pendente, judicem suspectum non reddi: nisi sententiæ ab eo latæ injustitia notoria sit, vel odii, aut amoris aliæ causæ, vel indicia se prodant.

Pro qua Jurium, in speciem sibi adversantium, conciliatione etiam facit ratio; quia antè appellationis exitum nescitur, an iniquè, vel imperitè judicarit, & parti fuerit offensus, ut notat Glossa in c. *Proposuit* cit. V. *Non debet.* Neque etiam, si malè appellatum fuisse, postea pronuntietur; cum enim hòc casu ipsa appellationis causa ad ipsum remittatur, c. *Olim* 7. de *Except.* non est ratio, cur in aliis recusetur. Sed solummodo, si, bene appellatum fuisse, pronuntietur; cum enim tali casu plerumque iniquè, aut imperitè judicasse redarguatur, pro offenso haberi justè poterit & recusari, juxta decisiones c. *Ad hac* & c. *Proposuit* cit. Plerumque, inquam, non *Semper*; quia casu, quò appellans ideo succubuit; quòd in prima instantia, omisiss, quæ allegare debebat, jus & inten-

& intentionem suam satis non probarit, quomodo iudex iniquè, aut imperitè iudicasse, & propterea tanquam offensus & suspectus recusari valeat, non apparet.

133. Post appellationem à sententia interlocutoria, non habente vim definitivæ, & irreparabile damnum non afferente, legitimè interpositam à Iudice *A Quo acta*, ut tanquam attentata in irritum revocentur, necessarium est; ut, ne ulterius in causa procederet, ipsi canonicè inhibitorium sit à iudice superiore. Inhibitioni autem, ut canonica sit, præmittenda est iustificatio appellationis, sive, ut antequam illa fiat, appellandi causam justam ac rationabilem, & causam esse devolutam, constat, *c. Non solum 7. §. Illa, ubi Glossa V. Ante definitivam, Franc. n. 5. & Covarruvias Practic. cap. 24. n. 1.* Causa etiam iustificata non omnia, sed ea tantum acta iudicis *A quo* revocantur, quæ post Canonicam inhibitionem sunt attentata, *Franc. cit. n. 5. & in c. cit. Laiman & Barbosa uterque n. 3.* Nisi iudex *A quo* appellationi statim detulisset; cum enim eam admittendò à se abdicet iurisdictionem, eaque tam super causa principali, quam super articulo appellationis in superiorem transferatur, *c. Cum Appellationibus 5. in 6.* postea ab ipso acta in irritum revocanda erunt, quantumvis inhibito facta non sit, *Glossa in §. Illa cit. V. Nisi iudex, Gaill. Lib. 1. observat. 144. n. 3. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 244. in fine.*

134. Sicut post iudicalem, sic & contra legitimè, hoc est, ex verisimili & probabili causa ad superiorem interpositam appellationem extrajudicialem, dum ea pendet, acta revocanda in irritum, & in eum statum reducenda sunt, quò interpositionis tempore fuerunt, ut colligitur ex *c. Bone 51.* quò textu contra eam ab Abbate ad sedem Apostolicam, etiam non specialiter contra personam & gravamen cer-

tum, ut in iudiciali exigitur, sed generaliter, *Ne quis eum super possessione Ecclesiæ præsumeret molestare*, interpositam acta, tanquam attentata, adversus eos, à quibus Ecclesiæ possessione fuit dejectus, imò & adversus tertium possessorem, revocata, & in eum statum, in quo fuerunt tempore interpositæ appellationis, sunt reducta; atque insuper mediò tempore percepti fructus Abbati sunt assignati, *Glossa in c. cit. V. Eum statum, ubi Panor. mit. n. 16. & Covarruvias Practic. cap. 24. n. 5.* Qua in re, licet aliqui extrajudicialem appellationem æquiparent cum iudiciali, non unum tamen inter eas &, præter alia, illud est discrimen; quòd per iudicialem potestas iudicis suspendatur: non etiam per extrajudicialem; idèoque post illam quidem, non etiam post hanc interpositam acta ante omnia revocentur, sed pendeant ab eventu futuro; cum tum deum revocentur, quando appellatio fuerit iustificata, eamque interponendi causa probabilis declarata, *c. Bone cit.* Nisi non solum post, sed etiam contra appellationem: vel post istam, ab Electione ad Ecclesiam Cathedralè, vel Regularem interpositam, sunt attentata; hæc enim ipso Jure ante omnia & ipsam quoque appellationis iustificationem, revocanda, alia DD. relatis, docet *Barbosa Lib. 2. Decis. Vol. 39. an. 63. & ex eo Gonzalez in c. Consideravimus 10. de Elect. n. 6.*

Quare intra decendium à sententia definitiva, ab eaque interposita appellatione pendente: uti & post iustificationem, quæ ab interlocutoria interposita est: & pendente appellatione extrajudiciali, in appellantis præiudicium innovata post eius iustificationem, viâ seu remedio Attentatorum ante omnia revocanda sunt à iudice, ad quem appellandò est provocatum, ex decisione *c. Solicitudinem 14. ubi Innocentius III. declarationem nullitatis Excom-*

Excommunicationis, quæ post appellationem, interpositam ad sedem Apostolicam, lata fuit, non ad Metropolitanum, qui per viam querelæ aditus erat: sed ad ipsum Papam, ad quem provocatum est, pertinere, rescriptit. Ratio est, quia, qui cognoscit de causa principali, is etiam de accessoriis & connexis cognoscere debet; quia accessorium sequitur principale, *Reg. 42. in 6. & connexorum idem iudicium est, c. Translatio 3. de Constitut. & l. Quid ergo 3. §. 8. ff. de Contrar. act. tutel. ut iudicis, cuius de eorum uno, etiam de altero cognoscere sit, arg. c. 1. de Cassi. possess. & l. Nulli 10. C. de Judiciis*: causa autem Attentati revocandi accessoria & connexa est causæ appellationis; cum pendeat ex eo, an ista legitima, aut frivola sit, Panormit. *in c. cit. pr. & ibi Laiman. n. 3.*

137. Remedium autem Attentatorum, quod post appellationem attentata, & in appellantis præiudicium innovata, revocantur, licet magnam similitudinem habeat cum Interdicto *Unde vi*, quod competit spoliato: isto tamen uberius ac pinguius est; quantumvis enim Interdicto illò spoliatus ante omnia sit restituendus, *c. In literis 5. c. Conquerente 7. & c. de Resit. Spoliat.* tamen ad innovatorum revocationem viâ seu remediò Attentati agens maiori quàm ille privilegiò gaudet; Primò enim illius Interdicti intentatio exigit Ordinem Iudicarium; non etiam intentatio remediò Attentatorum, in quo, imploratò officio iudicis, ab isto, parte solummodo citatâ, proceditur | de plano: ut quodammodo, sicut facta innovatio, ita innovatorum revocatio fiat, Panormit. *in c. Bone cit. n. 16. & Valles. ad hanc Rubric. §. 16. n. 3.*

138. Secundò, Interdictum pro solis immobilibus, *l. 1. §. 6. & 7. ff. de Vi. armatas* & contra eum duntaxat, qui spoliavit, spoliationem mandavit, aut eam suo no-

mine factam ratam habuit, *c. Cum ad sedem 15. de Resit. Spoliat. & l. cit. §. 12. & c. Remedium autem Attentatorum etiam pro mobilibus, & adversus quemcunque, sive bonæ, sive malæ fidei, possessorem competit, sive per partem, sive per iudicem ad eum, pervenerint, c. Bone cit. & c. Ex parte 7. de Test. & Attest. citt. Panormit. n. 19. & Valles. n. 5.*

Tertiò, Interdictum intentans possessionem ac spoliationem, *c. Consultationibus 10. de Offic. deleg. viâ autem Attentati agens solam possessionem appellationis interpositâ tempore penes se; non autem penes adversarium, vel alium existere, probare debet, abstrahendò, an vis intervenerit vel non, Panormit. cit. n. 19. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 254.*

Quartò, Attentati remediò agentis non obstat notorius defectus proprietatis, aut exceptio alterius spoliationis: neque etiam, si appellatio judicialis sit, exceptio excommunicationis: quæ tamen *Unde vi* Interdictò agenti obstat, *c. Cum dilectus 2. c. fin. de Ord. cognit. c. Intelleximus 7. de Judiciis & c. fin. de Except. citt. Panormit. n. 20. & Valles. n. 4.* excipiens à parte interpositam appellationem extrajudicalem; cum enim hæc sit provocatio ad causam, *c. Cum sit 5. pr. & Actionis habeat rationem, l. Qui appellat. 29. ff. de Judiciis*, Attentatorum revocationem petenti obstat videtur exceptio excommunicationis, *arg. c. Intelleximus & c. fin. citt.*

Quintò demum, Interdictò agens in beneficibus & similibus causis, secundum communem multorum sententiam, ad instantiam partis, aut saltem iudici pro sua informatione ex officio petenti, exhibere aliquando debet titulum coloratum: non etiam post appellationem innovata revocans viâ Attentati, *arg. c. Bone & c. Ex parte citt. Panormit. n. 17. & Pirrhing n. 254.* Alias differentias dabunt DD. *citt.*

¶ f f f

ARTICH.

ARTICULUS IX.  
De Judicis Recusatione.

## SUMMARIUM.

139. Appellationi affinis est Recusatio:  
140. Quā tanquam suspectus declinat  
tur iudex:  
141. Delegatus Utrōque:  
142. Ordinarius saltem Canonico Jure.  
143. Recusandus iudex est ante litis  
contestationem,  
144. In scriptis,  
145. Et ex causa iustae suspicionis:  
146. Quae nominatim exprimenda est,  
147. Etiam de Jure Civili.  
148. De causa suspicionis aliquando ar-  
bitri:  
149. Aliquando delegans,  
150. Vel iudex condelegatus:  
151. Et, subdelegatō recusatō, ferē dele-  
gatus cognoscit.  
152. Causam apertē frivolam rejicit  
ipse iudex recusatus,  
153. Secus arbitris, de ea cognoscenti-  
bus, statuit terminum:  
154. Intra quem ab ipso acta non sem-  
per irrita sunt.  
155. Suspicionis causā non probatā, de  
causa principali recusatus:  
156. Illā probatā, alius iudex cognoscit.

139. **A**ppellationi affinis est Recusatio  
iudicis; cū illa quoque & eā-  
dem, quō illa, Jure comparata  
sit ad defensionem, *can. fin. V.*  
Nam quod, 3. q. 5. & c. Secundō 41. §. fin.  
eāque legitimē objectā suspendatur ju-  
risdictio iudicis recusati; ut, suspicionis  
causā apud arbitros pendente, aliquid in-  
novare ei non liceat in præjudicium re-  
cusantis, arg. à contrario ductō ex c. Cū

speciali 61. verbis, Causā suspicionis non  
probatā, sua jurisdictione utatur: & in-  
novata, post appellationem Arcentato-  
rum instar, ante omnia sint revocanda,  
*can. Quoties, 2. q. 6. ubi Glossa, V. Appel-  
lenti; & in can. fin. V. Esfi, 3. q. 5.*

Est autem recusatio Rejectio sive de-  
clinatio iudicis & jurisdictionis ipsius, 140.  
propositā causā suspicionis, ut colligitur  
ex *can. fin. cit. c. Causam 17. c. Suspec-  
tionis 39. de Offic. deleg. & l. Apertissimi 16.  
C. de Judiciis, Speculat. Tit. de Recusati-  
one, pr. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 265.*  
Eam litigatoribus ad sui defensionem  
permittendi in æquitate Naturali fundata  
ratio fuit; ne stare cogentur iudicis  
eorum, quorum fidem, et si publicā autho-  
ritate approbata sit, ipsi tamen ex priva-  
tis rationibus meritō habent suspectam,  
Covarruvias *Prætic. cap. 26. pr. & Gon-  
zalez in c. Cū specialis 61. n. 2.*

Recusari, cū suspectus est, iudi- 141.  
gem delegatum utroque Jure posse, extra  
omne dubium, & planum est ex *cc. cit.*  
Nisi à litigantium altero sit impetratus;  
hunc enim impetrantis recusationi non ob-  
noxium, liquet ex c. Cū olim 33. nisi ex  
causa suspicionis, quæ postea primū or-  
ta vel cognita est, c. Insinuante 25. de Offic.  
deleg. ubi Hostiens. V. Propriō, Laiman in  
c. Cū olim cit. n. 3.

De iudice Ordinario inter Jura illa 142.  
DD. passim agnoscunt & statuunt discrimen;  
Ecclesiastico enim eius recusatio-  
nem: & si suspicionis causa probata fue-  
rit, à cognitione omnimodam remotionem  
permittam, indubitatum est ex *can.  
fin. cit. & c. Si quis contra 4. de Foro com-  
pet.* Imò totum Collegium recusari posse,  
communiter est receptum, arg. *Licet 10.  
eādē Rubric. Gaill. Lib. 1. observat. 331  
n. 2.* Unde hoc Jure recessum aiunt ad  
Imperiali, iudici Ordinario, iustā ratione  
recusato, eam cognitionem non omnino  
adimere;

adimente: sed ei Archi-vel Episcopum: vel, ut moderna praxis est, virum bonum ac discretum, minimèque suspectum adiungendum statuent, *Aurb. Si verò, C. de Judiciis*, Baldus in *Aurb. cit. n. 1. ubi* Sichelardus *n. 7.* & aliis relatis Covarruvias *Practic. cap. 26. n. 1.*

Non desunt tamen DD. qui, hęc etiam Jure Ordinarium æquè, ac delegatum, recusari in totum posse; atque *Aurb. cit.* & ex qua ista deprompta est, *Novell. 86. cap. 2.* consilium tantum contineri, velint cum Hilliger *ad Donell. Lib. 17. cap. 25. lit. Q.* quòd, cum Ordinarii suspecti non minùs, quàm delegati iudicium subire, periculosum sit, non fuerit ratio, suspitionis iustà causà subsistente, istius potius, quàm illius recusationem permitendi. De quo quidquid sit, in praxi Curiarum consuetudinem observandam, restè monent Gaill. *cit. observat. 33. n. 16.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 2. num. 75.*

143. Porro ad iudicis cuiuscunque legitimam Recusationem tria: & imprimis quidem requiritur; ut proponatur ante litis contestationem, *c. Inter Monasterium 20. de Sent. & re judic. & l. Apertissimi cit. pr.* Imò, Recusationes ante alias exceptiones dilatorias omnes proponendas, cum Glossa in *c. cit. V. Subeundo*, tradit Zanger *p. 2. de Except. cap. 4. à n. 2.* ad cò; ut, qui super aliis exceptionibus dilatoriis, v.g. aetoris excommunicati subiret iudicium, exceptioni iudicis Recusatoris renuntiasset, eiusque personam, insuper habità causà suspitionis, approbasse videretur: *arg. c. Insinuante 25. de Offic. deleg. eamque* reprobare amplius non permittetur, *Reg. Quòd semel 21. in 6.* Nisi tamen suspitionis causa postea primùm orta, vel, quæ ante extitit, postea cognita fuisset; cum enim, quæ de novo emergunt, novò auxilio habeant opus, *l. De*

*arate 11. §. 8. ff. de Interrogat. fac. & iusta ignorantia excuset, Reg. Ignorantia 13. in 6.* ex causa suspitionis, postea primùm orta, vel comperta iudicis recusatio, lite iam contestata, usque ad conclusionem in causa admitteretur *arg. c. Insinuante cit. & c. Pastoralis 4. de Except. cit. Gaill. n. 11. Zanger n. 5. & Haunold. n. 73.*

Deinde, ut recusatio fiat in scriptis, 144. sive oblatò iudici libellò Recusatoriò, *l. Apertissimi cit. ibi, Libellò recusationis ei porrethò, Glossa in c. Secundò 41. V. Coram allegare, cit. Gaill. n. 13. Vallent. n. 3. & Haunold. n. 76.* comparatur enim Appellationi ab interlocutoria, quæ in scriptis faciendà est, *c. 1. in 6.*

Demum; ut allegetur iusta causa suspitionis & Recusationis, v.g. quòd iudex recusatus recusatoris sit inimicus, *c. Cum R. 35. de Offic. deleg. vel amicus cognatus aut affinis adversarii, c. Causam 17. ibidem;* quòd in eodem negotio egerit advocatum, vel procuratorem; quòd cum alio habeat similem litem, eamque ob causam timendum sit; ne ius dicat inter alios, quod sibi dici postulet: quas & alias magnò numerò enarratas à Maranta *de Ord. Judic. p. 6. Tit. de Appellat. à n. 27.* & generaliter quamcunque causam, ex qua testis repellitur, ad recusationem iudicis sufficere, restè ait Gonzalez *in c. Cum speciali 61. n. 4.* cum ex suspitionis causa faciliùs recusetur iudex, quàm à testimonio dicendo quis repellatur, Glossa in *c. Cum R. 35. V. Cum sint, de Offic. deleg. cit. Gaill. n. 10. & Barbosa in c. cit. n. 5.*

Eiusmodi autem causam, an in specie exprimi necesse sit, vel sufficiat allegari generatim, controversiùter DD. & crebriori istorò calculò receptum est inter Jura discrimen; ut Canonico quidem eius expressio specifica exigatur, *c. Secundò 41. §. fin. & c. Cum speciali 61. pr.* Civili autem spectatò, sufficiat allegatio generalis, *l. De*

¶ ¶ ¶ ¶

per text.



per textus *l. Apertissimi 16.* eique subie-  
ctæ *Aurb. Si verb. C. de Judiciis*: quibus  
suspecti iudicis recusandi modus præscri-  
bitur, certæ suspicionis causæ, ne verbò  
quidem, factâ ullâ mentione. Alii hóc  
Jure ejus expressionem necessariam vo-  
lunt solummodo, cùm iudex Ordinarius:  
non etiam cùm delegatus recusat.

447. Has tamen distinctiones pro erro-  
neis habet Gonzalez *cit. n. 4. in fine*, Eas-  
dem rejiciunt, & quoad causæ expressio-  
nem inter eos iudicis ac Jura discrimen  
aliquod non agnoscunt Cujacius *Lib. 9. ob-*  
*servat. 23.* Gilcken *in l. Apertissimi cit.*  
*n. 17.* & Hunnius *Vol. 1. in Trent. disp.*  
*12. q. 41.* Neque id immeritò; cùm, su-  
spectionis causam allegandam, *l. fin. C. de*  
*Judiciis* eamque nominatim exprimen-  
dam, apertè habeatur *l. Si pariter 9. ff. de*  
*Causa liber.* cujus *pr. tenor* est, *Nisi ju-*  
*stam causam adferat, quare ad eum mitti*  
*non debeat, forte, si eum iudicem inimi-*  
*cum sibi affirmet.* & demum ejus in spe-  
cie exprimendæ necessitatem, Civili non  
minùs, quàm Canonico Jure fundata ra-  
tio evincat; quia iudicis recusatio ad  
suggillationem ejus existimationis, ad  
contemptum & quodammodo iniuriam  
pertinet, *arg. l. Si quis 5. ff. de Judiciis, l.*  
*fin. C. Quando provoc. non est necess.* ex-  
plorati autem Juris est, quoties aliquid ad  
iniuriam, & existimationis alienæ suggil-  
lationem pertinet, in specie & nominatim  
id exprimi oportere, *l. Item exigit 16. ff.*  
*de Dolo, l. Prator 7. pr. ff. de Injuriis,* præ-  
sertim, si vergat in contemptum iudicis:  
quem, qui suspectum ait, nec addit cau-  
sam, nihil dicere intelligitur; propter  
militantem pro eius integritate præsum-  
ptionem Juris, *c. Sicut 16. in fine, de Sent.*  
*& re jud. l. fin. ibi Quod non arbitramur,*  
*C. de Offic. Civil. Jud.* Accedit; quòd, in  
dubio Jus Canonicum à Civili fecisse di-  
vortium, non præsumatur, *arg. c. 1. de*

*Novi op. nunt.* & optimus legum inter-  
pres sit Magister Ullus, *c. Cum dilectus 8.*  
*de Consuet.* teste *cit. Gaill. n. 16.* in libel-  
lo Recusatorio expressionem certæ causæ  
exigens non minùs, quàm Sacri Canones  
eam poscunt *c. Secundo 41. & c. Cum spe-*  
*ciali 61.*

Neque in contrarium faciunt *l. &*  
*Aurb. cit.* quia causæ nominationi, eisd-  
que nominatim exprimendæ necessitati,  
ne verbò quidem, adversantur; atque  
idcirco recipiunt interpretationem, ex  
aliis *ll.* pro ea facientibus depromptam,  
consentaneam Sacris Canonibus, Curiarum  
etiam Secularium usu approbatam, & fir-  
matam magna ratione,

De expressæ autem causæ veritate  
& an ea legitima sit, cognoscere, non est  
ipsum iudicis recusati; ne in propria causa  
ius dicat, contra Regulam *Rubric. & l.*  
*Unic. C. Ne quis in sua causa:* sed ferè u-  
nius vel plurium arbitrorum, suspicionis  
causâ propositâ, ab ipso iudice recusato  
simul & eius recusatore, vel ab isto ipsius-  
que adversario, si quem habet, electo-  
rum, *c. Suspicionis & c. Cum speciali cit.*

Neque pro recusato iudice facit;  
quòd cuiusque iudicis sit æstimare, an  
sua sit iurisdictio, *l. Si quis ex aliena 5.*  
*ff. de Judiciis;* quia hoc non indiscrimi-  
natim quocunque, sed eò solum calu-  
rum est, quò ei obiecta exceptio concer-  
nit defectum iurisditionis, v.g. quòd re-  
scriptum delegatorium ob-vel subrepti-  
tium sit, *l. Si quis cit. & c. Super literis 20.*  
*de Rescript.* Non etiam calu, quòd excep-  
tio respicit statum & similes qualitates  
personæ ipsius iudicis, v.g. quòd servus,  
excommunicatus, infamis, vel propter  
scientiæ, aut integritatis defectum ido-  
neus non sit; cùm enim huiusmodi ex-  
ceptio lædat existimationem iudicis, e-  
iusque personam offendat, ab eius cogiti-  
tione meritò repellitur: etsi admittatur  
ad cogiti-

ad cognitionem prioris, ejus existimati-  
oni nihil derogantis, Panormit. *in c. Su-  
per cit. n. 10.* Felinus *ibid. n. 22.* & Bar-  
tol. *in l. Quidam § 7. ff. de Re judic. n. 7.*

149. Dixi Ferè siye regulariter; quia variis  
casibus de causa suspitionis alii cogno-  
scunt: & Inprimis quidem, cum delegato  
recusato præsens est delegans; quia ad cau-  
sam suspitionis, Sedis Apostolicæ delega-  
to objectæ, arbitri ideo eliguntur; quod  
delegans multum distet, & sine magnis  
sumptibus ac molestiis nequeat adiri, ut  
cum Panormit. *in Repetit. c. Si quis con-  
tra 4. de Foro compet. n. 21.* advertit Mo-  
lina *Tract. 5. de J. & J. disp. 23. n. 15.*  
Propter quam causam, si delegatus Epi-  
scopi aut ejus Officialis, uti etiam Vica-  
rius generalis recusetur, de suspitionis  
causa, cognoscere ad Episcopum, aliunde  
non suspectum, pertinebit, *c. Si contra  
unum 4. pr. V. Cum autem, de Offic. de-  
leg. in 6.* nisi iste procul absit, ut causa ad  
eum referri facile non possit; hoc enim  
casu arbitros eligendos, præter DD. *citt.*  
*in c. Si contra cit.* observant, Anchoran.

150. *not. 4.* Laiman. *n. 4.* & Barbosa *n. 8.* Dein-  
de, quando tanquam suspectus recusatur  
unus ex duobus, ad eandem causam dele-  
gatis, cum clausula *Si ambo non potestis,  
unus procedat*, de recusationis articulo nõ  
arbitri, sed condelegatus non recusatus  
cognoscit, *c. Si contra unum cit.* cum e-  
nim vi talis clausulæ, unò impeditò, de  
causa cognoscere debeat alter, huic me-  
ritò adstruitur cognitio articuli suspicio-  
nis, ut intelligat, an clausulæ conditio  
adimpleta & jurisdictio sit sua solius,

151. *Franc. in c. Si contra cit. n. 4.* Demum,  
quando à Papa ad causam aliquam dele-  
gati subdelegatus à parte iam citata recu-  
satur, multum interest, an huic unò dunta-  
taxat vel alter causæ articulus, vel tota cau-  
sa per subdelegationem sit commissa. Priori  
enim casu de suspitionis causa ad subde-

legantem: posteriori verò ad arbitros e-  
ligendos, vel delegantis condelegatum, si  
quem habet, cognoscere pertinebit; quòd  
hoc casu jurisdictio tota in alterum transla-  
ta: priori verò delegatus ejus partem sibi  
reservavit; ut proinde, si præsens sit, ad eum,  
tanquam judicem superiorem, cognitio  
pertineret. *Parte*, inquam, *jam citata*;  
quia ante citationem, cum res adhuc in-  
tegra sit, de objectæ suspitionis causa cog-  
noscere delegatus posset, ut cum Glos-  
sa *in c. Si contra cit. V. Episcopi*, notat *cit.*  
Laiman. *n. 2.*

Casu, quò causa recusationis mani-  
festè frivola & injusta foret, judex recu-  
satus, insuper habità causà suspitionis si-  
bi objectæ, in negotio principali proce-  
dere non prohiberetur, ut *in c. Cum specia-  
li cit.* post Panormit. *n. 12.* notant Bar-  
bosan. *1.* Laiman. *n. 4.* Sicut de ea eti-  
am cognoscit, quando allegata suspicio-  
nis causa non probatur: vel, quæ proba-  
ta est, insufficientes esse pronuntiat.

153. Quòd si, eam manifestè frivolam &  
injustam esse, non appareat: & an vera  
& legitima sit, permissum sit discus-  
sioni ac judicio arbitratorum, his judex re-  
cusatus præfigere potest terminum, sive  
tempus, ad discutiendam & debito fine  
terminandam causam suspitionis: intra  
quem, si eam non definiant, judex recusa-  
tus in principali procedere permittitur,  
*c. Secundo 41. §. fin. Sc. Legitima 2. in 6.*  
Intra terminum autem illum jurisdictio-  
ne sua uti nequit circa causam princi-  
palem adeò; ut quidquid circa eam in-  
novarit, juxta dicta, perinde, ut post ap-  
pellationem attentata, ante omnia sit re-  
vocandum. Ubi

154. Dubium est, an post recusationem  
suam à recusato judice acta, & lata senten-  
tia ipso Jure irrita sint. Non quidem, si  
objectæ suspitionis causa notoria sit; cum  
ex tali causa factam recusationem judi-

ff ff 3

cis ab

cis ab eo actorum valori obflare, satis conveniat inter DD. Etiam, si illa notoria non sit, saltem post arbitrorum electionem ab eo acta irrita esse, desumi solet ex eo; quod intra terminum illum careat usu jurisdictionis, argumentò à contrario dudò ex §. *fin. cit. & c. Cum speciali 61. pr.* quòd textu utròq; jurisdictione sua uti tum demù posse asseritur, cum suspicionis causa intra terminum illum non fuerit finita.

An eadem ratio sit, post recusationem gestorù, antequam arbitri eligantur, discussio est; valore enim ea quoque destituit, cum Panormit. in *c. Cum speciali cit. pr.* satis probabiliter existimant Gaill. *cit. observat. 33. num. 12.* & Zæsius *ad hanc Rubric. num. 38.* quòd, ipsà suspicionis exceptione proposità, ejus jurisdictionis usus ita suspendatur; ut eam sine recusantis consensu alteri committere amplius nequeat, *c. Judex 5. de Offic. deleg. in 6.* ac proinde multò minùs procedere valeat in causa principali, arg. à contrario *Reg. Cui licet 57. in 6.*

Verùm, quia *c. Judex cit.* recusati iudicis acta non irritantur: imò ipse causam cum recusatoris consensu alteri committere, disertè permittitur, jurisdictionem ab eo adhuc retineri: & acta saltem, si suspicionis causa ab ipso admissa non sit, pro validis habenda, in *c. Cum speciali cit.* non minùs probabiliter censent Innocentius *num. 7.* Imola *n. 8.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 287.* id inferentes ex *c. Super questionum 27. de Offic. deleg.* ad cujus finem à delegato, si justè recusationis causam non admittat, appellatio conceditur; & ea solùm pro irritis habentur, quæ post hujusmodi appellationem interpositam fuerint acta, minime obscurò argumento valoris antè gestorum, saltem si recusationis causa postea ab arbitris fuerit reprobatà.

155. Recusationis negotiò ab arbitris discussò, si allegata suspicionis causa non

probetur, vel non justa esse pronuntietur, causa principalis ad iudicem recusatum remittitur perinde, ut in appellatione ab Interlocutoria, *c. Ut debitus 59. in fine,* cui recusatio comparatur, *cit. Gaill. n. 14.* & Everardus in *c. Quoniam 11. de Probat. cap. 4. n. 90.*

Si verò, allegatam causam esse justam, ab arbitris fuerit pronuntiatum, causæ principalis discussionem quidam ipsis arbitris competere: alii eam ad recusati iudicis superiorem remittendam: rursus alii, eam à iudice recutato cum recusatoris consensu alteri idoneo & litigantium neutri suspecto viro committendam, volunt. Mihi cum *cit. Gaill. n. 15.* hac in re standum videtur locorum Consuetudine. Hæc autem seculus, de Civili, in Seculari foro observandò, ipsius negotii principalis cognitionem ipsis arbitris competere exillimo secundùm receptum intellectum *l. Apertissimi cit.*

De Jure Canonico & in Foro Ecclesiastico multùm interest, qualis iudex fuerit recusatus; cum, si Ordinarius sit, is cum consensu recusatoris causam alicui personæ, neutri partium suspectæ, committere: vel, si in eam recusans non consentiat, eam remittere debeat ad superiorem, juxta *c. Secundò cit. §. fin. & c. Cum speciali cit.* verba, *De recusatoris assensu persona idonea negotium committat, vel ad superiorem transmittat,* adeò; ut horum alterum in optione sit recusatoris: & si in personam, cui Ordinarius causam committit, consentiat, ista ad superiorem transmitti non possit: sed post suæ recusationis causam approbatam uti teneatur remediò partibus convenienti & minùs onerosò, ut cum Innocentio in *c. Si quis contra cit.* & Henrico de Borch in *c. Cum speciali cit. n. 4.* ostendit Barbosa *Lib. 2. Voc. Decisivo. vol. 24. n. 27. & 31.* Si verò recusatus sit delegatus, eò ipsò, quòd pro-

quod, probatâ suspensionis causâ, ipsius jurisdictionis evanescat, ipsi causâ tam commisione sive delegatione, quàm cognitione superlegendum, §. *cit.* ac proinde recurrendum erit ad delegantem, ut de causa cognoscat ipse, vel novò rescriptò eam alteri committat, Speculat. *Tit. de Recusat.* §. 5. n. 1. *cit.* de Boich. n. 8. & Everardus cap. 4. n. 92.

## ARTICULUS X.

## De Relatione Causæ ad Superiorem,

## SUMMARIUM.

157. Causa ad Principem Relatio variis casibus,  
 158. Presertim dubiò Juris circa ipsam ortò,  
 159. Saltem de Jure Canonico, fieri potest,  
 160. A judice inferiore, eam instructam cum Actu,  
 161. De partium consensu ad illum transmittente:  
 162. Et, donec remittatur, nihil innovante.  
 163. Hodie super dubiis Juris hujus periti consuluntur.

157. **R**elationum, non solum in Republica Seculari, à Provinciarum Præsidibus, & ipsi Prætorio Præfectis ad Principes: sed in Ecclesia quoque ab inferiorum Ecclesiarum Prælati ad summos Pontifices, missarum, usus quondam frequens fuit: aliquando quidem in causis, Sedis Apostolicæ judicio reservatis, *can. Denique, 6. q. 3. &c. Ut debitus 15. in fine, hic*: aliquando, cum à Principe causæ per delegationem committerentur, cum facultate procedendi usque ad conclusionem in causa: & jussu, ut ista instructa ad ipsum, super eâ pronuntiaturum, referatur, c.

*Licet §. de Offic. Legati c. Cum Bertholdus 18. de Senr. & ve judic. &c. Ut nostram 56. hic*: aliquando & frequentius, cum post ulteriorum allegationum renuntiationem causæ inter litigantes disceptata: jus dubium remaneret; & propterea à judice ambiguo consilii, quid in ea definienda sequendum, peteretur, l. *Eum quem 79. §. 1. ff. de Judiciis & l. 1. C. de Relat.*

Ex postrema hac causa facta & in Rubricâ nostræ sensu accepta Relatio, à DD. esse dicitur, Inferioris judicis de jure dubitantis ad Papam vel alium Principem aut superiorem missa consultatio; ut sciat, quid in judicando sequatur, Speculat. *Tit. de Relationibus §. 1. pr. & Maranta de Ord. Judic. p. 6. Tit. de Appellat. n. 7. De Jure, inquam; quia de factò dubius non consulere superiorem, sed in ejus veritatem & qualitatem ipse inquirere debet, §. 1. *cit.* Glossa in l. 1. *cit. V. Consulatur, & cit. Speculat §. 2. n. 1. Unde**

Patet ejus differentia ab Appellatione; etsi enim, sicut ista interposita, sic & Relatione apud superiorem pendente, aliquid innovandum non sit, *can. Nomen, 2. q. 1. &c. Licet cit.* Relatio tamen, non ut Appellatio à partibus, sed ab ipso judice, & in causis saltem Civilibus ante sententiam fieri solet: eaque facta & admittâ super causâ, non ipse superior; sed, ad ejus remissionem sive rescriptum, judex inferior sententiam profert, Gonzalez *in c. Licet cit. n. 5.*

Quantumvis autem hæc consulendi facultas, tanquam brevitati litium inimica, à Justiniano sublata; & super litigantium controversiis plenè discussis judices, quod justum legitimûque vident, deernere: & decreta, si interpositâ appellatione non suspendantur, executioni dare jussi sint, *Novell. 125. cap. 1. relatò Auth. Novo, C. hic*: sanctionibus tamen Ecclesiasti-

159 Ecclesiasticis can. 1. V. Nam si tale, dist. 20. can. Nomen, can. Denique cit. & c. In-  
timâsi 68. hic, firmata, & usu quoque,  
licet minùs, quàm olim crebro, retenta est:  
dummodo debitò modò fiat.

160. Ad eam enim requiritur Primò; ut  
plenam & omnibus facti circumstantiis  
perspicuè propositis & utriusque partis  
allegationibus perfectam totius causam  
instruccionem contineat, & unâ cum Actis  
ad Principem transmittatur, l. 1. & l. fin.

161 C. de Relat. ne iste, quid rescribat, ambi-  
gere possit. Secundò; ut litigantium pars  
utraque consentiat: & propterea, ante-  
quam ad Principem transmittatur, rela-  
tionis exemplum, seu copia ipsis edatur;  
ut, si quid fortè minùs verè, aut plenè ex-  
pressum invenerint, id supplere, vel, li-  
bellò refutatoriò adjunctò, aut Principi  
oblatò, redarguere valeant: vel, tanquam  
ipsa relatione gravati, appellare, c. cit.  
l. Super 2. C. de Relat. & l. fin. cit. Tertio;  
ut relatio fiat ante sententiam definiti-  
vam, l. 1. cit. Nisi causa sit Criminalis;  
in hac enim post latam sententiam, ante-  
quam executioni mandetur, Princeps con-

fuli aliquando solet, an illam oportet  
exequi, l. Inter 6. §. 1. ff. de Interd. &  
releg. cit. Speculat. §. 4.

Relatione rite factâ perinde, ut Ap-  
pellatione interpositâ, plenè conquiretur  
& suspenditur jurisdictio inferioris; ut,  
donec quid sequi oporteat, remissione si-  
ve rescriptò Principis referatur, neque  
procedere, neque aliquid immutare, ne-  
que in causâ merita inquirere valeat; &  
quod interea innovat, irritum habeatur,  
c. Licet cit. junctâ Glosâ, V. Translati-  
rat, cit. Speculat. §. 5. n. 1. Gonzalez in c.  
cit. num. 8. & Bruneman. in Auth. Novo  
cit. n. 4.

Hodiernis moribus rariùs ad Prin-  
cipem: frequenter autem recurri solet ad  
Jurium peritos, & Academica istorum  
Collegia, eorumque super Juris dubiis,  
in Civilibus & Criminalibus causis, re-  
quiri consilium: quod, donec reportetur,  
perinde ut relatione Principi præsentatâ,  
quasi suspensa jurisdictione, circa cau-  
sam nihil innovatur, cit. Vallens. n. 5.  
& Bruneman. in l. 1. cit. n. 11.



# TITVLVS XXIX.

## De Clericis Peregrinantibus.

### SUMMARIUM.

- 1. Vim appellationis habet iter ad Pa-  
pam,
- 2. Arreptum intra decendium à lata sen-  
tentia &c.  
Ut nihil etiam in iudicio valeat in-  
novari.

- 4. Arreptum post decendium iudicium  
non ligat.
- 5. Romipetas offendentes excommuni-  
cantur.

**A**ppellationis vim & effectus ha-  
bet Professio ad Sedem Apo-  
stolicam, ex rescripto Caele-  
stini III. c. Unico bis; cum ad-  
verius